

VERINO Ugolino

CARLIAS (8642 vers)

Le texte proposé ici a pour base la version numérisée d'une édition de 1991, dont l'auteur avait choisi de conserver les graphies de l'édition ancienne, à savoir celles préconisées par Pétrarque (un exemple, parmi beaucoup d'autres, la diphtongue 'ae' notée tantôt 'e', tantôt 'ae'). Il nous a donc fallu, pour le rendre plus accessible à des latinistes qui ne sont pas des paléographes, le transcrire en latin 'actuel'.

Mais, malgré nos efforts, ce texte reste une ébauche d'édition. Il nous a manqué, pour l'améliorer, de trouver, dans une grande bibliothèque européenne ou parmi les innombrables textes proposés par Google en format PDF, une autre édition de ce poème.

Si un improbable lecteur peut nous fournir un lien, nous lui en serons reconnaissant, 'aeternaliter'.

I

C_1	v.1	Proelia magnanimi canimus victricia Carli
	2	armaque Francorum nullis impervia terris
	3	edomitumque orbem Longobardosque feroces
	4	impiaque horrendis miserorum Tartara poenis
	5	Elysiumque nemus civesque ardentis Olympi.
	6	Insuetum per iter ferimur, nullisque priorum
	7	orbita currenti monstrat vestigia signis.
	8	Christe, potens rerum, aeterni sapientia patris,
	9	aspira coeptis, vatem nec, diva, precantem,
	10	Calliope, spernas (res ardua), pande recessum
	11	Parnassi memorans breviter compendia rerum.
	12	Victor ab Aurora remeans Pipinius heros
	13	ter centum Aegeas sulcabat navibus undas,
	14	turbaque nautarum pelagi segura tumentis
	15	pulsabat scissum numeroso verbere pontum,
	16	cum subito exarsit flammato pectore Satan
	17	tristiaque infecit solitus praecordia livor.
	18	Delphorum tunc forte sedens in rupibus altis,
	19	subversi templi ereptos maerebat honores
	20	disjectasque aras cortinaeque antra reclusa,
	21	percita quis quondam Phoebeo virgo furore

22 luserat obscuris mortalia pectora dictis.
 23 Ut vidit celsi bacchato e vertice saxi
 24 magnanimos proceres felicia pandere ventis
 25 carbasa et aequoreos tuto decurrere fluctus
 26 ingentem classem victorisque arma potentis
 27 despexit toto longe radiantia ponto
 28 (per noctem ut caelo scintillant astra sereno,
 29 sic procul auratae fulgebant aequore puppes),
 30 constitit atque caput cinctum serpentibus atris
 31 quassans vipereo secum est haec ore locutus :
 32 "En quid ago infelix ? Mortali vincor ab hoste ?
 33 Hic meme spreto per mille pericula tutus
 34 Eoas contrivit opes ; mea numina tempsit ;
 35 templorum hic nostras evertit funditus arces
 36 disjecitque audax simulacraque nostra cremavit,
 37 quae mihi tot saeculis cumulavit prisca vetustas !
 38 Profuit ergo nihil cunctos fecisse nocentes
 39 per fraudemque novo caelum eripuisse parenti
 40 et consanguineo tabo infecisse nepotes ?
 41 Quid variis miserum temerasse erroribus orbem,
 42 quid virus, Maumette, tuum commentaque dira
 43 prosunt ? Ecce redivit Carlus victricibus armis :
 44 nomen et extendit crucifixi solis ad ortum,
 45 accepitque ferox numen Germania Christi.
 46 Et nunc Ausoniae contendit classe parata
 47 Scandavias acies gentemque agitare rebellem
 48 Christiculis nostrosque omnes evertere ritus !
 49 Non faciet ! Contra tendam totumque ciebo
 50 in caelum tollens ventis luctantibus aequor !"
 51 Haec ait infrendens Eurosque a rupe sonoros
 52 concitat Aeolia. Simul omnes rumpit habenas
 53 carceris obscuri patefactoque ejicit antro.
 54 "Nunc mare, nunc caelum rapidis turbate procellis !"
 55 clamat, "Et invisam Gallorum immergite classem !
 56 Primus et ante oculos infaustam murice puppim
 57 infringat Carlus ; praeceps trudatur in undas !"
 58 Nec mora, prorumpunt patefactis agmina portis
 59 ventorum ; solem eripiunt tenebrisque coortis
 60 inducunt picea caecam caligine noctem
 61 passaue dilacerant inopino turbine vela.
 62 Hinc gelidus Boreas glaciali horrore profundum
 63 asperat ; hinc Auster nimborum sibilat alis
 64 roscidaque obscuros fluctus ad sidera torquet.
 65 Terrificant pavidas horrenda tonitrua mentes ;
 66 tam crebrique micant discissis nubibus ignes,
 67 ut rupta labi videatur stellifer axis
 68 compage et pontum dejectis urere flammis.
 69 Nunc supra aequoreos tolluntur ad aethera montes,
 70 nunc acti rursus scissi per confraga ponti
 71 praeruptasque maris valles truduntur ad antra
 72 Nereidum et rostris fundum stridentibus urgent !
 73 Quid faciant ? Tenebris noctescit turbidus aer,
 74 colliduntque rates ratibus - miserabile visu ! - ,
 75 Franguntur remi. Caeli fragor intonat ingens,
 76 obstrepit unda fremens mortemque horrenda minatur
 77 instantem. Abjecta maerentes arte magistri
 78 cesserunt. Remis jam tota dehiscit apertis
 79 classis, et hostiles irrumpunt undique fluctus.

80 Quin etiam ante oculos regis Rutenia puppis
 81 ardebat pelago in medio, tabulasque per omnes
 82 protinus excurrit rapidi Jovis ignea lampas.
 83 Heu, geminae miseros duplicata pericula mortis
 84 terrent, et pavidi per tota sedilia currunt
 85 perque foros trepidi fugiunt frustra que latebras
 86 exquirunt ! Instant flamma undique et undique pontus.
 87 Mox se praecipites combusta e nave dederunt
 88 haud dubiam in mortem nautae. Rutenus et ipse,
 89 Rutenus Trevirum ductor, fortissimus heros,
 90 nequicquam arrepto semiusti fragmine remi
 91 in mare se jecit tumidasque internatat undas,
 92 quem rapidus vortex fundum detorsit ad imum.
 93 Cesserat arbitrio ventorum impulsa carina ;
 94 haec malo, haec clavo, remis haec debilis ibat ;
 95 haec tabulis fractis scopulo pendebat acuto,
 96 illa infixis vadis nigrisque haerebat arenis.
 97 Heroum postquam vires rectoris et omnem
 98 imperiosa maris tempestas vicerat artem,
 99 Francorum princeps geminas ad sidera palmas
 100 substulit ac nudo supplex ita vertice fatus :
 101 "Aspice nos, Christe, et tantam depelle procellam !
 102 Affer opem miseris, instantique eripe leto
 103 immeritas naves, monstris neu praeda marinis
 104 ille tuus populus tumidis mergatur in undis,
 105 Tartareaeque ferae sceleratum comprime virus !
 106 Ecce ferox livore tumet mortemque minatur,
 107 et faciet, nisi nos caelo miseratus ab alto
 108 ereptos undis tuta in statione reducas.
 109 Da, pater, optatos Latii pertingere portus,
 110 si laetus tua jussa sequor vitamque periculis
 111 objecto et sanctos Romana a sede fugatos
 112 ad tua sacra patres Tarpeiae reddere rupi
 113 festino et saevos duce te expugnare tyrannos ! "
 114 Vix haec ediderat, laeva cum flammea lampas
 115 innocuo fulgore nitens descendit ab alto.
 116 Depulsis tenebris mox regia visa cremari est
 117 puppis, et in malo caelestis flamma reluxit,
 118 auditamque ferunt vocem de nube Tonantis :
 119 "Ecce adsum ; depone metum ; confide ! Vetamus
 120 ulterius rapidis Satan saevire procellis."
 121 Nec plura ; obscuro disjecit ab aere nubes
 122 compressitque Notos, pontum de more paludis
 123 sedavit. Scopulosque et saxa latentia liquit
 124 decrescens Nereus, immotaque constitit unda.
 125 Agnovere Deum proceres : tunc pristina virtus
 126 depulsoque metu vires rediere priores,
 127 quas gelidus torpor vicinaque mortis imago
 128 abstulerat. Surgunt et magna voce morantem
 129 detrudunt scopulis navim pelagoque reducunt
 130 fractaque suspendunt decusso lintea malo
 131 haerentemque vadis sublato pondere longis
 132 impellunt nixi contis et hiantia tortis
 133 compingunt stuppis disruptae vulnera pinus.
 134 Vix tandem multo portum sudore propinquum
 135 defessi subeunt vacuasque ad litora naves
 136 tendere nituntur cuneis lapsuque rotarum,
 137 ut demum in sicca starent tellure triremes.

138 Tunc vero ad solem suspendunt humida lina,
139 quicquid et ereptum est spumantibus aequoris undis,
140 depromunt passimque omnes in litore praedas,
141 Puniceas vestes, Arabum gestamina regum
142 expandunt vitiata salo. Tunc fronte serena
143 Gallorum ductor saxo sic orsus ab alto :
144 "Magnanimi socii, tristes deponite curas !
145 Securi pelagi revocate in pectore sensum,
146 qui mecum geminis per mille pericula lustris
147 innumeros hostes superastis Marte secundo !
148 Quid referam ? Novistis enim, mecumque laborem
149 perpressos saepe ancipiti in discrimine pugnae
150 eripuit Deus. Est nulli superabile ferro
151 invictae robur mentis. Confidite ! Virtus
152 occurrit fatis sortemque retundit inanem.
153 Fortunam invicti pariter toleremus utramque.
154 Rebus in adversis robur probat acre virorum
155 Jupiter exercens variis mortalia curis.
156 Ignavis adversa cadunt : Deus odit inertes.
157 Erigite, o socii, et sortem sperate secundam !
158 Non iter est longum vobis, Latiumque propinquum
159 angusto spatio dirimens interfluit aequor.
160 Cras meliora dabunt mutati flamina venti ;
161 interea positis laeti discumbite mensis !"
162 Dixit et in viridi constratis gramine pictae
163 Tigridis exuviis primus consedit, et omnes
164 discubere toris pariter pictisque tapetis.
165 Inde ubi pulsa fames paulumque e pectore cessit
166 maeror et incaluit Baccho exhilarata juvenus,
167 consurgit. Quamvis tenebrosis Hesperus umbris
168 tellurem et pontum tegetet fessosque diurnis
169 curis illiceret Lethaeo vimine Somnus,
170 jussa tamen regis faciunt et castra tuentur
171 explorantque omnes aditus. Ceu proximus hostis
172 eriperet somnum, vigilat pars puppibus altis.
173 Illi autem, quibus haec custodia credita noctis,
174 erecto insomnes servant labentia caeli
175 astra supercilio, strepitus et murmura quaeque
176 aure notant vigili subeunt mutantque vicissim
177 alterna statione locos, Titonia conjux
178 impellens donec celeres ad frena jugales
179 ignea puniceis adigat caelo astra flagellis.
180 Tunc matutini proceres praetoria circum
181 convenere ducis. Nec fit mora, proxima quaeque
182 rimantur, pacemne viri seu bella minentur,
183 exploratores mittunt, qui certa reportent.
184 Interea magni solers prudentia regis
185 ordine dispositis turmis astare jubebat
186 intentos ; ac si non longius urgeat hostis,
187 hic mos semper erat sumptis durare sub armis
188 Francorum regi ; longe procul omnis ab illo
189 desidia et metus et Veneris male sana cupido.
190 Non ergo immerito talem se turba ferebat,
191 qualis erat princeps. Dum sic in litore castra
192 constituunt tumulisque hostem speculantur ab altis,
193 non procul a castris silvestri prodit ab antro
194 squalenti vultu et demissa in pectore barba
195 hirsutae monachus villosa tegmine caprae

196 obsitus et baculo nixus passuque senili
197 vix repens aevo nutantia crura trahebat.
198 Hunc ubi siderei speculantem numina caeli
199 Orlandus vidit, certam spem protinus haurit.
200 Alloquitur subito Carlum (nam proximus illi
201 haerebat comes et dubio in discrimine custos) :
202 "Aspicis en illum, Gallorum o maxime rector,
203 caelestis cujus radiat reverentia frontem ?
204 Insolitaque mihi riguit formidine sanguis,
205 et gelido erecti surgunt in vertice crines.
206 Quicquid id est, caeleste puto. Venientia pandet
207 fata tibi. Properemus", ait, "veniamque petamus."
208 Nec plura ; accelerant ambo propiusque salutant.
209 "Salve", inquit Carlus, "summo dilecte Tonanti
210 vir, qui divitiis spretis regnisque caducis
211 terrestres artus divino nectare pascis !
212 Dic regem nomenque loci populosque deumque,
213 quem regio ista colat, quae nos fortuna sequatur !
214 Hactenus invicti rapidas Euphratis ad undas
215 persuadente Deo felices strinximus enses,
216 divini ut Christo soli tribuantur honores.
217 Nunc quoque fert animus sceleratam exscindere gentem
218 Scandavii populi et saevos frenare furores
219 reddereque Ausoniae priscis cultoribus arva."
220 Dixerat haec Carlus, contra cui talia vates
221 inspirante Deo respondit. "Maxime rector
222 Francorum, qui signa vehis victricia Christi,
223 interea dum saevit hiems, lacerata procellis
224 navigia aptabis. Multis incidua saeculis
225 hic silva ingentes ramos ad sidera tollit.
226 Hospitium fidum tibi dat Thesprotia tellus.
227 Rex est Justinus Romanae stirpis alumnus :
228 nam lacrimosa Getes cum ferret bella Latinis
229 milliaque Hesperiam decies centena Gelonum
230 impeterent quassisque ruens Concordia muris
231 barbarico praeberet iter cursumque furori,
232 misit in has furtim tunc Caesar Honorius oras
233 Arcadium natum, qui post successit Abynclae
234 Epiri regi. Generum nam legerat illum
235 Justinae natae, soboles cum nulla virilis
236 esset ; et ex isto justis fluxere nepotes.
237 Quare, age, festina muros ac tecta subire
238 Buthroti, hos supera colles et moenia quaere !"
239 Tunc comes Orlandus stupefactum numine Carlum
240 affatur : "Qua monstrat iter, rex magne, sequamur.
241 Hunc - ego ni fallor - Deus aethere misit ab alto,
242 rebus ut afflictis melius confidere possis."
243 Dixit et acclivi salebrosa cacumina montis
244 ascendit partesque oculos versabat in omnes,
245 ne fraus a tergo latebrosae in tramite silvae
246 esset et occultis saltus interciperet armis.
247 Palladis interea velati tempora fronde
248 septem oratores juvenum comitante caterva
249 Justini, pictis quos omnis purpura nimbis
250 ornabat, regi Carlo responsa ferebant.
251 Paciferae postquam ramos utrimque Minervae
252 porrexere duces et sancto foedere pacem
253 sanxerunt junctis dextris dictaque salute,

254 tunc senior Polynous doctis oriundus Athenis,
 255 eloquio qui clarus erat, sic farier orsus :
 256 "Terrarum rex certa salus et gloria, Carle,
 257 egregium Magni tribuit cui dextera nomen,
 258 seu te turbati tempestas horrida ponti
 259 appulit invitum Justini ad litoris oras,
 260 Epirum seu sponte petis, succede libenter
 261 Buthrotum, ut rebus cari potiaris amici !
 262 Digneris Graias sedes urbemque subire
 263 Caesaridum de stirpe ducis. Cape munera laetus,
 264 quae tibi rex donat, dextram quoque jungere dextrae
 265 qui cupit ! Ut fessas illic recreare phalangas
 266 et possis sociis opibus sarcire biremes,
 267 donec hiems tepidis mitescat victa Favonis
 268 temperet et motas saevis Aquilonibus undas
 269 Nereus, ut tuto discedas classe refecta,
 270 indulge hospitio et communibus utere rebus !"
 271 Dixit et haec omnes eadem mandata ferebant
 272 legati ac Carlum dubium similemque moranti
 273 liberius cogunt ipsumque ad moenia ducunt
 274 quingentosque una proceres sacramque cohortem
 275 lectorum juvenum, quorum celeberrima virtus
 276 Francorum regi totum devicerat orbem.
 277 Jamque propinquabant portis, cum protinus omnis
 278 visendi studio pubes sese extulit urbe.
 279 Ipsae etiam matres innuptaque turba, puellae,
 280 velato vultu plenis procul ora fenestris
 281 extendunt Carlumque oculis digitisque sequuntur,
 282 ostenduntque senes pueris et nomina pandunt
 283 heroum, ut seri possint meminisse nepotes :
 284 "En Namus, eloquio qui Nestora vinceret ! Ille
 285 est Claron, alter Diomedes. Alter Ulixes
 286 ille est Uggerius, nisi quod procerior aequo est.
 287 Ille autem, cujus saevis hinnitibus auras
 288 implet et horrendos efflat de naribus ignes,
 289 - stat sonipes pictus radiantia tergora guttis
 290 Paestanis acrique ortus de gente Pyronis
 291 perque viam obliquus saltat cervice superba, -
 292 Amonis soboles, alter Telamonius Ajax :
 293 non animo minor est, non robore corporis impar.
 294 Cujus parva latent sub torva lumina fronte,
 295 Ponterius rector Ganus Magantius astus.
 296 En ille Orlandus, Francorum magnus Achilles
 297 alter et Alcides et regi proximus armis !
 298 Sed longe ante omnes majestas regia Carlum
 299 ornata, et ex ipsis caelestis fulgurat ignis
 300 luminibus, miramque auget reverentia formam,
 301 Phoebeoque acies hebetat splendore videntum."
 302 Dum sic alternis pubes Butrotia dictis
 303 Belgarum signat proceres, ad limina ventum est
 304 regia. Campus erat medio latissimus urbis
 305 marmoreis stratus tegulis, ac plurima circum
 306 buxus erat platanusque virens Daphnaeaeque laurus,
 307 et late vernis mulcebant questibus auras
 308 assuetae volucres circumque supraque volare ;
 309 quin etiam aurato nitidae de fornice lymphae
 310 Hippocrinaei stillabant fluminis instar.
 311 Editiore loco nascentis lampada Phoebi

312 regia marmoreis spectabat nixa columnis,
313 undique quam Pario cingebat porticus ingens
314 marmore suffulta et paries emblemate pictus :
315 a laeva Xerxem frenantem Nerea ponte
316 atque Athon effossum siccoque haerentia fundo
317 flumina et exhaustos Persis potantibus amnes
318 Palladaque iratam subversis pinxit Athenis
319 Tuscus Alexander, Coi successor Apellis,
320 Cecropidasque feros pelago pensare ruinas,
321 pulsus ut invidia (populus sic praemia reddit)
322 hostilem Graius ductor migravit in urbem.
323 A dextra magnus Pellaei seminis heros
324 Persepoli capta flammis ultricibus aulam
325 Persarum urebat ; mox fulminis instar ad Indos
326 pervolat affectans ortum transcendere solis.
327 Parte ferox alia super atri tergore barri
328 squamosa tectus serpente in bella ruebat
329 Porus et in pugnam extremos ductabat Eoos.
330 Nec procul Euphrates mediam Babylona secabat.
331 Pro foribusque aulae liventi corpore princeps
332 exsanguis foedabat humum : sine honore jacebat,
333 cui victus quondam bellanti cesserat orbis.
334 Haec mira Etruscus depinxerat arte Philippus.
335 Vestibulo postquam in primo foribusque superbis
336 omnis eques defluxit humum, descendit ab axe
337 aurato pariter Pipini magnus alumnus,
338 Romanusque una nudato vertice rector
339 in terram delapsus equo est, et frontibus ambo
340 oscula libabant reges dextrasque dedere.
341 Atria tum resonant strepitu, reboantque tumultu
342 multivago intrantum summi laquearia tecti.
343 Consedere ambo reges, sellisque paratis
344 inferiore gradu proceres, comitesque minores
345 constituerant. Solio Pipinius infit ab alto :
346 "Rex, genus antiquum claro de sanguine Romae,
347 Caesareos qui attingis avos, huc turbida caeli
348 jactatos tumidis tempestas appulit undis,
349 in Latium domitis dum nos remeamus Eois.
350 Hospitio nondum notos tibi jungis amico
351 ejectisque libens tantos largiris honores,
352 ut socies portus, agros urbemque domosque.
353 Dum noster carpet vitales spiritus auras,
354 stabit apud memores aeterni gratia facti."
355 Ad quem sic breviter Justinus talia reddit :
356 "Armipotens princeps, terrarum gloria, Carle,
357 quem Sors omnipotens Graiorum ad litora ventis
358 compulit Ausoniam Romanaque tecta petentem,
359 dum libet, his repara naves alimentaue terris
360 laetus et his mecum communibus utere rebus !"
361 Dixit et ornari lautas sub Apolline mensas
362 innuit aurato tepidisque vaporibus aulam
363 impleri et fumo dispergier atria cedri,
364 qualem vere novo Panchaeis saltibus auram
365 sentit Erythraeis veniens sulcator ab undis.
366 Jussit Orontean frondes et ligna cremari
367 incendiue pyram brumamque evincere flammis.
368 Nec mora, luciferos pictis laquearibus ignes
369 suspendunt noctemque procul funalibus arcent ;

370 quin et odoratis tepefacta caloribus unda
 371 promitur, et manibus pretiosi dantur odores.
 372 Post niveam Cererem mollique siligine panes
 373 apportant famuli, mensaeque onerantur opimae
 374 aureaque ad summum Dictaeo cymbia Baccho.
 375 Pocula pars nitidis implet crystallina lymphis
 376 quaesitasque dapes pelago silvasque per omnes.
 377 Ter centum famulae praestanti corpore circum
 378 adstabant mensas, tot idemque aetate ministri
 379 insignes forma siccatas nectare gemmas
 380 exportant. Pars vina ferunt, pars fercula lance
 381 celata vectant altis fumantia dextris.
 382 Qualis apud Meroen famulatur turba minorum
 383 caelicolum regi nascentis ad ostia Nili,
 384 deserit astriferum siquando Jupiter axem,
 385 vescuntur proceres unaque Pelasgica pubes.
 386 Ipse throno residens Carlus sublimis in alto
 387 tanta laboratae damnat miracula cenae
 388 et tacitus carpit tanti ludibria luxus.
 389 Sublatis promunt primis bellaria mensis,
 390 nec biferi tot habent florentia culta Damasci
 391 Hesperidumque horti vigilataque mala dracone.
 392 Splendida dum celebrant amplis convivium tectis
 393 Francorum invicti proceres Danaumque senatus,
 394 Tyrrenae sonuere tubae lituique recurvi
 395 tympanaque, et festos indixit tibia rythmos.
 396 At postquam auratam tetigit Milesius Amon
 397 cum plectro digitisque lyram linguaque canora
 398 Phoebeos cecinit concordi pectine cantus,
 399 protinus arrectis tacuerunt auribus omnes :
 400 "Audite, o sancti reges, vos, cura Tonantis,
 401 illustres", inquit, "proceres, quae numine pleni
 402 caelesti vates cecinere incognita tardis
 403 mentibus et vasti quae sint primordia mundi :
 404 Pan, deus omnipotens, nondum terramque polumque
 405 condiderat magnique ardentia lumina caeli
 406 labenti volucrum subfixerat axe rotarum
 407 ingentique vagum frenaverat obice pontum,
 408 cum Daemogorgon, cui plurima barba rubenti
 409 et gemina assurgunt in caelum cornua fronte,
 410 sphaerae instar finxit pilam. Commixtaque in uno
 411 tunc elementa globo primum digressit et auram
 412 caelestem inflavit. Mox inde per omnia fusus
 413 corpora vivificus divini spiritus ignis
 414 astrigerum hinc sese longe super omnia caelum
 415 substulit, inque suas secessit machina partes.
 416 Hinc primum humani generis caelestis origo,
 417 maxima cura dei, Pandora munere fluxit,
 418 cui dedit ingenium proprium mentemque supernam,
 419 divinae formam idaeae, qua proximus haeret
 420 caelicolis, longe qua cuncta animantia vincit."
 421 Nec non purgatos animos ac labe carentes
 422 aetheriis habitare jugis vitamque perennem
 423 expertemque mali summis agitare sub astris
 424 cantabat vescique deum dapibusque toroque.
 425 "Non prius ad superas exempti carcere sedes
 426 aligeri volitant animi, quam corpore sordem
 427 conceptam abluerint ; sic demum sidera poscunt."

428 Hinc merita caesos referebat morte Gigantes,
 429 qui superos celsis aggressi extrudere regnis
 430 horrendas sine fine dabunt sub Tartara poenas.
 431 Nunc canit ardentis rutilantia sidera caeli,
 432 cur modo praecedat solem, modo pone sequatur
 433 Hesperus, et lunae nigram pernicious eclipsim,
 434 aera cur Hyades fuscent pluvialibus Haedis,
 435 cur gladio accinctus terras conturbet Orion,
 436 cornua cur Tauri tellurem a frigore solvant,
 437 cur lugubre micet rubicundi flamma comete,
 438 unde ruat tanto concusso fulmen Olympo
 439 in terram strepitu, cum debeat astra ferire,
 440 unde pluant lapides, concretaque frigore grandis
 441 ventorum rabie medio gignatur in aestu,
 442 unde novi fontes exortaque saxa repente
 443 inque imas subito depressa cacumina valles,
 444 Cur sic inclusi tanto conamine venti
 445 visceribus terrae labefactent funditus urbes.
 446 Haec postquam voce et cithara cantaverat Amon,
 447 conticuit. Sed nox medium trajecerat axem
 448 ac declive jugum caeli jam prona secabat,
 449 sopierat mortale genus, cum ductor Achivum :
 450 "Tempus", ait, "placidae, rex optime, fessa quieti
 451 membra dare insomnem nec totam ducere noctem.
 452 Crastina puniceis cum lux invecta quadrigis
 453 lampade Phoebae caelo discussisset astra
 454 retuleritque diem, procerum miranda tuorum
 455 gesta renarrabis nobis tantosque labores
 456 Europa atque Asia domitis terraque marique
 457 undique permense spatio victricibus armis
 458 primaque felicis repetes exordia pugnae."

II

C_2 v.1 Surrexere duces somno thalamisque relictis
 2 Phidiacis sedere thronis, postquam ostia Gangis
 3 lustrarat croceis conjux Tithonia flammis.
 4 Tunc rex Justinus cupiens victricia bella
 5 audire, hoc Graium proceres omnisque senatus
 6 orabant. Tacitis ubi facta silentia linguis,
 7 annuit his Carlus, deflectens lumina terrae
 8 cunctatus paulumque silens sic farier orsus :
 9 "Edite Caesaridum generoso a stemmate regum
 10 Justine, ingentes si nunc audire labores
 11 Francorum cupis et tantis certata periculis
 12 proelia concussis totius viribus orbis,
 13 quae nos jam decimo pugnando gessimus anno,
 14 attigerim quamvis breviter fastigia rerum,
 15 ante diem claudet celeris tamen orbita Phoebi
 16 dimenso caelo lucemque reducet Eois.
 17 At referam causam et tanti primordia belli :
 18 impia pestiferi Maumetti inventa tyranni,
 19 qui se demissum aethereis mentitus ab astris

20 dulcibus illecebris mortalia pectora cepit,
21 corruptum diris foedavit legibus orbem.
22 Hic Arabas Nilumque omnem Syriamque subegit,
23 hujus et infecta est paene Africa tota veneno.
24 Nos ergo humanae miserati incommoda gentis
25 turpe putabamus gelido pugnare sub axe
26 nostraque Rhipaeis extendere montibus arma,
27 neglecta tellure Dei, quam barbarus hostis
28 servitio pressam longos impune per annos
29 foedarat. Christi convulsa funditus arce
30 proque sacris illic aderant praesepia templis.
31 Quin etiam ipse Dei caelo demissus ab alto
32 saepe mihi occurrens haec bella capessere jussit
33 interpres Raphael. Cum nox involveret umbra
34 tellurem, tum saepe Dei sum voce monentis
35 visus in arma rapi. "Cessas nostra oppida, cessas
36 extorquere feris tandem subrepta tyrannis ?
37 Rumpe moras tecumque crucis victricia signa
38 tolle ! Iter incumbit longum, longique labores
39 vosque manent terra, vos saeva pericula ponto.
40 Ne tamen absistas ! Obstantia cuncta refringes
41 compositoque domum remeabis foedere victor."
42 Arma jubente Deo sumpsi heroasque potentes
43 delegi et validam robusto corpore pubem.
44 Qua Rhodanus pontum duplici discriminat alveo,
45 ter centum intravi rostratis navibus aequor.
46 Ac primum incolumes Phoenicum in litore turmas
47 exposui, Christo ventisque in vota secundis
48 has pelagi septem percurri mensibus oras.
49 Victores celsam Libani expugnanimus arcem.
50 Nec mora, Sidonios infestis cursibus agros
51 praedati, Biblum, Cinarae regalia tecta,
52 eruimus veteremque Tyron arcemque Damasci
53 Herculeasque domos uberrimaque arva Baruti.
54 Confestimque omnis nostro Phoenicia Marti
55 cessit ; et hic paulum terrae pelagique labore
56 defessus raptis curavit corpora rebus
57 exhaustas redimens vires pugnisque futuris
58 accinxit sese miles. Pars altera classis
59 Stratonis turrim celsamque invasit Ioppem,
60 cernitur unde procul nutrix Hierosolyma Christi.
61 Hyrcono et Gaza evulsis captaque Machaero
62 et campum Hierici, quem colles undique cingunt
63 in formam circi, palmis oleisque virentem
64 cepimus, ascissus cortex ubi balsama sudat.
65 Illic Herodis celsas delevimus arces ;
66 horrendusque lacus fervente bitumine quamvis
67 saeviat et taetro perturbet sulphure caelum
68 et scabra exhalans maculet rubigine ferrum,
69 nos tamen accensas cymbis tranavimus undas.
70 Perculimus pavidas magnis terroribus urbes.
71 Subversis vicis, caesis cultoribus igne
72 et ferro villae castellaque cuncta ruebant.
73 Justa Dei in saevos fieri sic ira jubebat.
74 Deseruere omnes trepida formidine cives
75 pppida vicina, et celsis in montibus arces
76 pars petit, ast alii deserta per invia raptim
77 cum pecore et natis australes fugit ad oras

78 myrrhiferamque plagam et calidam petiere Syenen.
79 Interea Syrii collectis viribus omnes
80 a tergo instabant, Arabumque exercitus alter
81 a fronte urgebat. Longeque acerrimus armis
82 dux erat ante alios dira feritate Thibaldus :
83 nulla fides homini, divum reverentia nulla
84 semifero, at dextra pollens et fortior astu.
85 Ah, quotiens versis ficto terrore maniplis
86 diffugiens furtim latebrosa in valle resedit,
87 ut mox inclusos hinc inde invaderet armis !
88 Saepius et nostras inopino milite turmas
89 sub lucem circumque obscura crepuscula noctis
90 turbavit castra, et coniectis eminus hastis,
91 cominus ense ferox propius discurrere vallum
92 ausus et hostili minitans se ostendere porte.
93 Famaque longinquos Arabas Nabataeaeque secum
94 agmina concierat, peditum jam millia centum
95 ducebat pulsosque metu revocabat et ultro
96 spem tollens varia instigabat voce cohortes
97 (confectos senio Gallos longoque labore
98 defessos siccis Arabum ostendebat in arvis
99 expositam praedam) : "Mecum distringite ferrum !
100 Sejunctas sternamus opes, hostisque superbi
101 impasti lacerent inhumata cadavera corvi !"
102 Est mons excelso subductus in aera dorso,
103 quem Sinnam dixere Arabes, in vertice cujus
104 divina e caelo Moses praecepta recepit.
105 Illic silva virens penitus radice sub ima
106 obtegit angustas fauces, at cetera nudus
107 vix humiles herbas nutrit tenuesque genistas.
108 At deserta siti regio est, nec pervia cuiquam
109 externo, puteique latent, et saxea tota est.
110 Hos aditus multo Petraeiis milite ductor
111 firmat et insidias frondentibus occulit ulmis.
112 Post volucres equites mittit nostrosque lacessit
113 eductis gladiis saevamque irritat ad iram
114 paulatim sese retrahens. Ardentius agmen
115 idcirco insequitur nostrum. Praecognita nobis
116 fraus erat hostilis ; summique cacumine montis
117 ter senas jussi peditum consistere turmas,
118 desuper ut valeant ingentia saxa rotare
119 et simul a tergo tuto cedentibus obstant.
120 At nostri, fauces artas aditusque malignos
121 qui primi intrarant, jam sternebantur, et atrox
122 victor Arabs instabat et undique claustra tenebat
123 infestisque urgens telis ac voce minaci
124 horrendam edebat stragem. Circumque supraque
125 prodibant curvis hostes hinc inde latebris,
126 dumoso implicitos truncabant tramite Gallos.
127 Quod nisi praemissae summa de rupe cohortes
128 Petraeiis equites ingenti mole superne
129 stravissent, dirum exitium caedesque fuisset
130 Christicolis gentique meae. Sed percita clades
131 raptim cum totis meme legionibus illuc
132 compulit, et fessos hosti extorquere maniplos.
133 Stabat in angustis stricto mucrone Thibaldus
134 faucibus ac portis praeclusae vallis et omnem
135 vim facile arcebat. Tum nobis aurea signa

136 aethereis conspecta jugis minuere pavorem.
137 Mox fauces multo clamore irrupimus omnes,
138 obvia cuncta neci damus et prosternimus ense
139 custodes. Duplicat saevas spes addita vires.
140 Illi ubi clamores, simul arma sonantia supra
141 cervices sensere suas, formidine turpi
142 projectis fugere armis, perque avia furtim
143 palantes nemora et silvestribus obsita dumis
144 antra metu arripuere fugam, clamante Thibaldo :
145 "Quo fugitis, miseri ? Sic me vos traditis hosti ?
146 Est ferro quaerenda salus ! Victoria nostra est !
147 Inclusi ecce jacent hostes ! Durate parumper !
148 Quando iterum in tanto pugnetis cardine ? Quando
149 implicitos fortuna dabit, spes quae altera restat ? "
150 Nequicquam haec timidis jactabat voce manuque
151 obsistens, tantum vix regia substitit ala.
152 Ast alii deserta petunt retroque fugaces
153 quadrupedes proni ferratis calcibus urgent.
154 Deletas ubi vidit opes seseque relictum
155 cum paucis, torvo suspexit lumine caelum
156 saevaque in ingratos torsit convicia divos.
157 Post volucris dilapsus equo Petraeus heros
158 Scenitas populos Gedrosiaque arva petivit,
159 ut pastorales turmas nomadasque rebelles
160 colligeret rursusque acres in bella Macenas
161 concitet Assyriaeque caput Babylona lacessit
162 et cunctas in nos pharetratae Persidis urbis.
163 Hostibus interea caesis spoliisque receptis
164 etsi animus ferret meus ulteriora petendo
165 devictum infestis telis urgere Thibaldum,
166 hinc tamen usta siti regio nos terruit, inde
167 interjecta palus graviter spirantibus undis
168 incepto avertit. Tum primi causa laboris
169 expugnata meis nondum Hierosolyma telis
170 nos retro abstraxit. Quae mox fera bella peregi.
171 Interea Syrias debellavere phalanges
172 ductores nostri atque urbes cepere superbas,
173 quas rex Antiochus, quas condidit ipse Nicanor,
174 Heracliam Tripolimque Laodiceaque tecta.
175 Phoebeasque arces aurataque templa Dianae,
176 quae nitidus silvis Phiton circumdat amoenis,
177 vertimus et Christo sacras ereximus aras.
178 Possidium et Paltum recidivaque saxa Marathi
179 petrosoque jugo insignis velut Isthmos Aratus
180 capta, nec Euphrates potuit nec Berea nostras
181 evitare manus. Bis centum in montibus arces,
182 sed longum numerare omnes, quas cepimus urbes
183 Sidonios juxta veteres Syriaeque colonos.
184 Inter utrumque solum surgebat Apollinis aedes,
185 magnanimi Sesostris opus, commune duobus,
186 unde Tyrus Syriusque simul responsa petebat.
187 Aureaque in medio templi fulgebat imago,
188 gemmeus ex humeris pharetrati daemonis arcus
189 pendebat, totumque immani corpore serpens
190 cingebat cauda apprensus, rictusque ferarum
191 horrendus non unus erat. Delevimus igne,
192 inque loco aeternae fabricata est virginis ara.
193 Nec mora, Samariam peragrans victore peregi

194 milite Caesareasque domos Flaviosque colonos,
195 Sebastem et Gamalem tangentem vertice nubes
196 et notum sacris Cleophae sermonibus Emaum
197 disjeci, Lyddam et durae cervicis Helirdam.
198 Natalemque Dei Bethlem parvumque Tonantis
199 praesepe aspexi supplex, ubi natus Olympi est
200 rex hominum divumque pater de virgine Christus.
201 Illic immundos sensi mugire juvencos :
202 haec loca victores Arabes fecere profana.
203 Nos vero egregium niveo de marmore templum
204 Christiparae et caeli reginae ereximus arces.
205 Perfectis meus inde sacris exercitus omnis
206 proruit atque alacer celsam properavit ad urbem
207 Metropolim Judae et densis circumdedit armis.
208 Quae quamquam valido multos munita per annos
209 praesidio et Cerere invecta tolerare labores
210 posset et hostiles secura arcere tumultus,
211 attamen ardor erat sceleratam excindere gentem
212 protinus et longum per saecula quaerere nomen,
213 ut, si nubiferum Hierosolyma vertice Pindum
214 aequet et aetherei transcendat culmen Olympi,
215 vel meus aereas reptasset miles in arces.
216 Haec urbs Eoae quondam clarissima gentis
217 exstitit et multos haec fortunata per annos
218 innumeros victrix populos dicione subegit.
219 Quam prisca posuere Noae de sanguine patres,
220 cum primum Armeniis consedit montibus Arca
221 cumque vagas curvum litus compescuit undas.
222 Urbs altis imposta jugis ; circumque petrosus
223 squallet ager, nulli fontes, nullum aequora flumen
224 irrigat, at solum torrens de nomine cedri
225 Montis Oliveti bruma de vertice lapsus
226 per vallem Josaphae exiguis vix labitur undis.
227 Attamen in media fons est uberrimus urbe,
228 proximaque octavo lapidi sitientibus arvis
229 cuncta arent, hostisque omnis secura furores
230 urbs facile arcebat turritis ardua muris.
231 Ter tamen eversa est : sic nulla superbia durat
232 et legum neglectus amor. Manet ulctio sontes
233 justa Dei. Evertit demum dux Flavius urbem,
234 commissi in Christum sceleris luit impia poenas.
235 Romanus rursus posuit pulcherrima princeps
236 nomine mutato majori menia gyro.
237 Hanc Arabes centum tenuere impune per annos.
238 Postremo vertenda meis Hierosolyma telis
239 restabat pulso trans ultima Bactra Thibaldo.
240 Signa meus miles propius victricia muris
241 horrendo clamore tulit, fossasque profundas
242 implere et scalis summa ad fastigia niti
243 contendit ; clypeo munitus culmina prensat
244 saxa, sudes, contos ferrato umbone repellens.
245 Moenia pars subterfodiunt testudine densa,
246 pars trabibus nexis portarum robora frangunt,
247 tormentoque alii stridentia saxa per auras
248 contorquent multis domibus factura ruinas,
249 ligneaque attollunt castella aequantia turre.
250 Hinc sudibus longis stantes pro turribus hostes
251 detrudunt supraque urgent et moenia nudant.

252 Acrius hoc Arabes nimiumque ferociter instant
253 tincta Parectonio jaculantes tela veneno
254 ac piceam in nostras jactabant lampada moles,
255 plurimaque ardebat flagranti machina taeda.
256 Ipsae etiam matres summo in discrimine pugnae
257 moenia fracta novo reparabant aggere terrae
258 et late absconso complerant murice colles
259 occultisque aditus laqueis fossaque latenti
260 munierant levibus stipulis et vimine tecta,
261 caecus ut intrantes fossarum falleret error
262 - ceu taurum ignotis foveis venator agrestem
263 excipit inque feram tuto venabula torquet - ,
264 quippe genus fallax Arabum est duroque labori
265 assuetum rapta vitam traducere praeda.
266 At meus in ferrum per mille pericula miles
267 irruit atque omnes aditus explorat in urbem.
268 Haud secus Hyrcana catulis in valle relictis
269 sub lucem stimulante fame magalia circum
270 rugit et horrendos laxat fera tigris hiatus
271 discutit et vallos et claustra morantia vellit ;
272 pastorum non illa minis, non territa cursu
273 latrantum, quam mille canes et tela sequuntur.
274 Desperata phalanx Arabum sub turribus altis
275 stabat et adverso ponebat vulnere vitam.
276 Sublimes quamvis contorta falarica longe
277 e muris mediam raptos jaculetur in urbem,
278 terga dedit nullus, sine spe truculentior hostis
279 pugnando intrepide numerosos pertulit ictus.
280 Captis nulla salus, victis fuga nulla patebat.
281 Funera quis stragemque urbis percurrere posset
282 illius et nostros aequae narrare labores ?
283 Nam nova ter clarum renovarat Cynthia cornu,
284 ex quo bellando infestis obsedimus armis
285 celsa Palaestine defessi moenia Syon ;
286 sanguineis tandem applausit victoria pennis.
287 Petraeos ter mille equites Avicenna regebat
288 sub duce consuetos olim pugnare Thibaldo,
289 omnibus expertos belli artibus. Acer et audax
290 impia Christicolis victor devoverat arma.
291 Ut fractos muros, ut defensoribus arcem
292 extinctis vacuum vidit, cum nullus equorum
293 usus in urbe foret, nostrasque irrumpere turmas
294 cerneret in muris (Judaeus transfuga tantum
295 rarus erat, potiusque metu quam fideret arcis,
296 pugnabat nullo moturus signa pavore),
297 advocat instructos equites Nabathei heros :
298 "O comites, quanto sumus in discrimine, quod nos
299 exitium praesens maneat, nunc cernitis", inquit,
300 "nudatam quis enim laceratis moenibus urbem
301 defendet ? Caesis propugnatoribus arcis
302 subsidium nullum, spes nulla relicta salutis !
303 Audendum tamen est, ne mox pereamus inulti !
304 Esto quisque memor patriae regisque suique !
305 Aut hodie antiquas Arabum remeemus ad oras,
306 aut, si Parca vetat reditus, cum sanguine multo
307 hostili Stygias ulti migremus ad undas !"
308 His inflammati dictis clamore tremendo
309 erumpunt subito portis saevamque procellam

310 dant equites Martemque ciunt gladiisque minantes
311 invadunt alacres pugnam. Per tela, per hostes
312 castra petunt primamque loco movere cohortem.
313 Haud secus Aeolii patefacto carcere montis
314 ventorum rabies furit et trahit omnia verrens,
315 immenso sonitu silvas, mare, sidera torquet.
316 Disrumpunt primas acies cuneosque refringunt,
317 viribus ac ferro via fit, densumque per agmen
318 sanguineis gladiis Petraeia fulminat ala.
319 Cum subito Orlando, qui captam intraverat urbem,
320 nuntiat Helvetius retro cessisse Britannos
321 emissosque Arabas puro decernere campo ;
322 his propere auditis hostili ex aggere praeceps,
323 rupibus ex altis ut saxum, fertur in hostem
324 et simul horrendo post illos intonat ore :
325 "Siccine desertam fugientes proditis urbem
326 hostibus ? " Et saxo Rhambei colla Philarci
327 conterit et fulva moribundum extendit arena.
328 Haec ubi respexit morientis vulnera fratris,
329 ingemuit Claetus victusque dolore parumper
330 constitit elinguis. Rabidas mox arsit in iras,
331 "Quo ruis ?" exclamat, cum voce volatile ferrum
332 torquet in Orlandum, rapidus simul eruit ensem
333 a femore : "En adsum fraterni vulneris ultor !"
334 Hasta tamen longe est ferrato umbone recussa.
335 Cui tunc subridens converso immurmurat ore :
336 "Ibis, Clete, comes fratri, Stygiasque per undas
337 una ambos nigra vectabit navita cymba !"
338 Dixit et ancipitem gladium inter tempora Claeti
339 fixit et in geminas discisso pectore partes
340 prosternit longe mutilata cadavera terrae.
341 Inde alios ferit ense ferox. Simul additur illi
342 Ulverius comes et vibrans Amonius hastam
343 in Berosum - rupto stetit illa infixata cerebro !
344 Hic solitus fuerat radio labentia toto
345 astra notare polo et rerum praedicere causas,
346 inspecta genesi supremam funeris horam ;
347 Non tamen Albanae praesensit cuspidis ictum.
348 Te quoque Crinitus quamquam dilexit Apollo,
349 Cenophile, et tenues resonanti pollice cordas
350 auratae pulsare lyrae Cirrhaeque sub antro
351 Calliope docuit conjungere carmina nervis,
352 occidis ipse tamen. Dum versibus arma sonoris
353 concinis, abruptis resonantia guttura cuspis,
354 umbraque purpureo fugit maculata cruore
355 ad Styga. Nec potuit Tyrius sycophanta Rinaldum
356 effugere Agnonides, foderet licet aere volantis
357 ilia cornupedis, scissis mucrone recepto
358 in spinis cecidit ; gladio confossus eodem
359 Cossaeus Phiston, caesis qui civibus olim
360 assuetus fuerat gelidas Ediphontis ad undas
361 praedari et Solocem magnis ditare rapinis.
362 Occidit et Pytheas sacrae regnator Edessae,
363 qui caeli cursum, terrae qui noverat oras.
364 Corruit et ductor Parthorum ex stirpe Phraartes
365 Arsaidum et Scaenae Babylonius accola Pyrrhus.
366 Stasius et rubrae dives sulcator harenae
367 Orlandum ut vidit stricto mucrone ruentem

368 praereptamque fugam, sese de rupibus altis
369 morte necem fugiens barathrum dejecit in imum.
370 Postquam Avicenna suos adverso Marte perisse
371 cernit et infestas se circum adstare coronas
372 praereptamque fugam et nullam superesse salutem,
373 spumantem convertit equum et simul intonat ore :
374 "Sanguinis haud expers erit haec victoria Gallis !
375 Visemus nigros per mutua vulnera manes !"
376 Sic frendens densam stricto petit ense cohortem
377 et pugnans multam interimit sine nomine plebem.
378 Haud aliter pardus, quem densis undique telis
379 pastores clausum magnis clamoribus urgent,
380 proelia dira movet tergoque haerentia frangit
381 spicula sanguineoque fremens venabula rictu
382 mandit et horrendos saltu decurrit in enses ;
383 nec minus extremo furit in certamine rector
384 Petraeus : gliscunt furiato in pectore vires,
385 contra tela ruit, demens molitur ab omni
386 ense necem ! Tandem milleno vulnere fossus
387 corruit et vitam tenues efflavit in auras.
388 Nos alacres raptu per strata cadavera cursu
389 labentem quassis muris invadimus urbem ;
390 perque ipsas ferimur spumanti sanguine fossas
391 aggere dejecto plenas murique ruinis.
392 Robora portarum stridenti a cardine vulsa
393 prosternunt. Totis legionibus itur in urbem.
394 At matres altis nequicquam saxa fenestris
395 in nos devolvunt atque ultima proelia tentant.
396 Telorum omne genus jaciunt, ingentia trudunt
397 pondera, decutiunt labefactas funditus aedes,
398 integra, siqua manent, flammis ad culmina jactant,
399 dant se praecipites supra ipsa micantia tela.
400 Ac super armatas cecidere cadavera turmas,
401 ut moriens saltem sub pondere conterat hostem
402 transfuga, cui veniae fuerat spes omnis adempta.
403 Altaque victrices jam longe culmina flammae
404 exsuperant conduntque atra caligine caelum.
405 Pars Arabum intrarat celsam Salomonis in aedem,
406 portarumque aditus caelato obcluserat aere, -
407 sed frustra ! Irrumpunt Galli, trabibusque Rinaldus
408 aerea contortis innixus limina vellit.
409 Fit strages ! Multo despumat sanguine templum.
410 Horror ubique, ignis, ferrum luctusque pavorque !
411 Auditurque fragor per tecta ruentia, qualis
412 esse solet circum nimbose cacumina Pindi,
413 ut sacris reboant percussa Ceraunia telis,
414 cum fera turbato jaculatur fulmina caelo
415 Jupiter et crebris proscinditur ictibus aether !
416 Uruntur sacra templa deum veteresque penates,
417 magnorum monumenta ducum, congesta crematur
418 gaza, laboratasque auroque ostroque rubenti
419 infectas urit vestes Vulcanius ardor.
420 Ne meritas scelerum Judaei sanguine poenas
421 persolvant nobis, ubi flammis cuncta dederunt,
422 ardentem subiere pyram. Quos protinus ignis
423 cum patria enectos cinerem convertit in atrum.
424 Exitus ille fuit belli : propriisque nefandae
425 perfidiae exegit dextris gens impia poenas.

426 Interea obscura nox terram involverat umbra,
 427 cum fumum et flammam combustae liquimus urbis
 428 et fessi rerum castris consedimus altis.

III

C_3 v.1 Divinae postquam ceciderunt moenia Sion
 2 aethereasque arces, excelsa palatia regum
 3 in cinerem ignis edax et humo fumantia tecta
 4 aequa dedit, tunc unus erat miserabilis urbis,
 5 - Cur urbem refero ? Vestigia nulla manebant ! -
 6 Squalor et informis nigranti in cote cicatrix.
 7 Proh diros casus ! Proh lamentabile fatum !
 8 Illa, Palaestini regni caput, incluta quondam
 9 doctrina et sacris semper memoranda prophetis
 10 conditaque in medio inferioris cardine mundi !
 11 Disjecta ut vidi prostratae membra ruinae
 12 et campos, altam Salomon ubi fecerat aedem,
 13 ingemui : "Cur est nobis erepta facultas
 14 parcendi ? Longum saevi dicemur in aevum,
 15 si nunc linquamus saltus, ubi regia sedes
 16 electi generis sanctaeque ab origine prolis
 17 stabat et unde sacrum spirabant templa furorem !
 18 Illic, o socii, patiemur lustra ferarum
 19 esse, ubi majestas aeterni summa Tonantis
 20 non dedignata est multos habitare per annos ?
 21 Crudeles dicent venientia saecula Gallos,
 22 si manibus nostris Christi Hierosolyma nutrix
 23 versa sit et diro caelestes vomere colles
 24 proscindat Medus pascaturque sacraria taurus.
 25 Aedificate novis igitur recidiva colonis
 26 moenia, quae multo Gofredus milite ductor
 27 tutetur pacemque bonis bellumque superbis
 28 inferat, ut soli Christo tribuantur honores."
 29 Vix haec edideram, laeva cum parte sereni
 30 intonare poli voxque est audita per auras :
 31 "Erige, quas hostis subvertit funditus, arces
 32 sacratasque aras nobis et moenia conde !"
 33 Sic de nube Deus populo est praesente locutus.
 34 Tunc vero proceres certatim et Belgica pubes
 35 incumbunt operi molesque ad sidera tollunt.
 36 Delubra erigimus, sacras quoque condimus aras
 37 et testudineum niveo de marmore bustum
 38 ponimus aethereo regi primique sepulchri
 39 excisum lapidem fulvo consternimus auro.
 40 Quin cinere in medio succensae invenimus arcis
 41 haud polluta Dei rapidis sudaria flammis.
 42 Dum nova sublimi erigitur Hierosolyma muro,
 43 vulnera dum miles curat viresque quiete
 44 alterna reparat spectatque sequentia bella,
 45 interea magnis opibus magnoque tumultu
 46 surgit in arma ferox in nos Solymandius heros,
 47 Onis et - antiquo repetens ab Osiride prolem -

48 Pellaei primum prorupit ab urbe coloni ;
49 qui Memphim Thebasque colunt nitrariaque arva
50 quique tenent solis, quondam cunabula vatam,
51 ingentes moles, veterum miracula regum.
52 (Illic ut perhibent monstrantque Aegyptia templa,
53 Orphea, qui vestris primus tulit Orgia Thebis,
54 Orphea praecipuum Cadmeae stirpis amicum
55 accessisse ferunt ; et vatam culmen Homerum
56 illinc infernae traxit figmenta biremis ;
57 illic Eudoxum labentia sidera caelo
58 cognosse et magnum dicunt habitasse Platona.
59 At nunc militibus jacet urbs exposita nefandis,
60 pyramidum vix sola manent vestigia. Tantum
61 et rabies hominum et longinqui temporis aevum
62 consumit). Rabidas exarsit Acantus in iras,
63 urbs Lybicus vicina jugis, cui belliger Amon
64 praefuit, ante alios omnes dux acer et hostis ;
65 Aegypti Libyesque plagas excivit in arma.
66 Nec Maumettanae tantum coiere catervae,
67 omnigenum sed enim turba et sentina deorum
68 confluit, nostrum jurata haurire cruorem,
69 et latratori meme devovit Anubi.
70 At nos confestim sumptis invasimus armis
71 Aegyptum. Quamvis arenis in via terris
72 deserta obstarent flavisque lateret arenis
73 serpentum vis atra licet, tamen avia tuti
74 defendente Deo siccisque peregrinus oras.
75 A Pelusiaco percurramus usque Canopum
76 litoreos campos. Primumque occurrit agrestis
77 turba incompta virum sparsis armata praeustis,
78 quam facile ancipiti caesam prosternimus ense.
79 Non procul a Pharii locus est celeberrimus urbe,
80 Idromium dicunt, ubi terga Antonius olim
81 Caesareis victus turmis formidine vertit.
82 Illic bis centum stabant sub Marte cohortes,
83 Aegyptusque omnis nos exspectabat in armis.
84 Dux Solymanus erat nulli virtute secundus,
85 eloquio dextraque potens, cui Persis et omnes
86 Parthorum Syriaeque urbes Babylonque superba
87 parebat ; fines regni compescuit Indus.
88 Septima Juliaeas fuerat lux ante calendas,
89 Christiculis veneranda dies eademque profano
90 haud neglecta hosti, divo sacrata Joanni,
91 Cum propius castris positus in margine Nili
92 constitimus, solitoque minus stagnantibus undis
93 gurgite caelestis presso deferbuit amnis
94 pinguique arenti limo siccaverat arva.
95 Jam mediam caeli conscenderat igneus arcem
96 Phoebus anhelantem torrens ardoribus orbem,
97 cum subito innumeris pubes Nilotica lembis
98 oppositum tranat fluvium Martemque lacessit.
99 Et primum obscurant stridentibus aera telis,
100 mox strictis gladiis magno clamore furentes
101 nequicquam ficto trepidantia castra pavore
102 circumdant fossasque implent et pontibus altis
103 transiliunt ipsisque audent concurrere castris.
104 At nos consulto procedere longius hostem
105 perpessi. Pugnae pariter solisque calore

106 ut tandem fessos et hiantia vidimus ora,
107 irruimus densi languentiaque agmina retro
108 vertimus et longe trepidos disjecimus hostes.
109 Tunc ingens oritur caedes ; fugiuntque caduntque
110 praecipites fossis : hinc nos, hinc obstitit amnis !
111 Et jam purpureo spumabant sanguine campi,
112 gramineis ripis ipsoque in flumine multi
113 confixi periere fugam impediante timore.
114 Submersaeque rates nimio sub pondere ; plures,
115 dum nando sua castra petunt, absorbuit unda.
116 Quod nisi flammiferos Hispano in gurgite currus
117 mersisset labente die Phaethontius ignis,
118 gentibus exitium Phariis lux illa dedisset.
119 Interea elapsi tenebrosae munere noctis
120 diffugiunt hostes castris ducibusque relictis.
121 Roscida vix gelidas Aurora fugaverat umbras,
122 cum celeres emitto equites acremque Rinaldum,
123 tardius extremum ut fugiens prosterneret agmen,
124 forte paludosis siquis latitaret in ulvis ;
125 nec clades fuit illa minor, pluresque perempti.
126 Mox rapidum instructo trajeci milite Nilum.
127 Ipse autem celsis Solimannus fidere castris
128 non ausus, quamvis triplici munimine fossae
129 et derivatis esset circumdatus undis.
130 Niliacam ut turpi sensit formidine pubem
131 dilabi, signis motis procul inde repente
132 discessit Babylona petens et Persidis oram.
133 Trajiciens flumen partes secessit Eoas,
134 expurgat fossas, turritis oppida muris
135 circumdat fruge invecta fontesque propinquos
136 exsiccat venis scissis fluviosque venenis
137 inficit et flammis urit crepitantibus arva
138 pabula corrumpens, ne detur copia nobis.
139 Rescindit pontes, ut tela instantia tardet,
140 occupat angustas fauces saltusque malignos
141 exploratque aditus omnes ac milite fido,
142 qua nos venturos credit, velut obice firmat.
143 Praecipue aetherii saxosa cacumina montis
144 custodit ponitque altis in montibus arces
145 et pubem interea duris exercet in armis.
146 At nos Aegypti complures funditus urbes,
147 quaecumque aeterni spernebant numina Christi,
148 eruimus celsasque solo decussimus arces.
149 Memnonis antiqui triplici circumdata muro
150 regia nos contra bellum commovit Abydus
151 sustinuitque dies plures Niloque lacuque
152 defensa. Et cunctis Bucorus fortior armis,
153 Bucorus veterum claro de semine regum,
154 nil temere aggrediens pro portis stabat et alto
155 aggere vallorum muros urbemque tenebat,
156 in nos torquebat vastos ex arce molares.
157 Copia nec pugnae fuerat nec cominus enses
158 stringendi propiusque pedem conferre facultas.
159 At nostri proceres Memphi Thebisque subactis
160 turpe putant perferre moras totiensque repulso
161 imbellique hosti victricia terga dedisse.
162 Sed furit ante omnes insana mente Rinaldus,
163 assumpto lembo medios defertur in hostes

164 inque ipsam scalis confestim pervolat arcem
165 deturbatque altis custodes moenibus et se
166 praecipitem armatus mediam dejecit in urbem.
167 Arboris obnixus trunco clypeoque repellit
168 telorum nubem et solus vim sustinet omnem.
169 Omnis circa unum sese glomerabat Abidus,
170 non tamen ausa manus propius conferre nec ense,
171 sed telis tutisque procul clamoribus urgent ;
172 ac velut, horrendum Libycae siquando cohortes
173 serpentem aut vastum procul invasere leonem,
174 missilibus certant et jactis eminus hastis.
175 Pertonat Orlandus : "Cur hic residemus inertes,
176 heroes ? Solus nunc captam Aemonius urbem
177 ingressus victor spoliat caeditque paventes ?"
178 Nec plura, ad portam ruit ocius alite vento.
179 Francorumque omnis velut alis nixa juvenus
180 conscendit muros, portasque exercitus omnis
181 irrumpit. Strages oritur, nec parcitur ulli,
182 et merito : prima haec Maumetti sacra recepit.
183 Quin omnem praedam captosque ex hoste triumphos
184 certatim flammis dedimus, mora ne qua retardet.
185 Non auro in pugnam, sed relligionis amore
186 afflatique sacro properamus numine Christi.
187 Labitur attonitas extemplo Fama per urbes
188 Persarum, rumorque celer defertur ad Indos
189 Australesque plagas, ubi semper torridus aer.
190 Herculea primus Tragoditis venit ab undis
191 mole gigas vasto metuendus corpore et armis
192 Burratus, cujus pellis detracta cerastae
193 tempora vel saxo vel durior aere tegebat,
194 raptus et aequoreae clypeus de tegmine conchae
195 pervius haud ulli ferro ; quin vestis aena
196 subter erat, gemini quam vix cervice juvenci
197 inflexa traherent. Ast illam indutus obibat
198 militiam et cursu fugientia terga premebat.
199 Proximus a Carna venit Minaeius heros ;
200 venit odoratis Tannensis ductor ab oris ;
201 quin etiam heroum dives Ptolemaeus ab urbe
202 auratis longe ante alios spectabilis armis
203 Turriferos currus horrentiaque agmina barris
204 duxit. Et extremis Porus regnator ab Indis
205 ter denas equitum turmas totidemque elephantum
206 armenta advexit. Non rege potentior illo
207 Indorum est alter Palibothros inter Eoos,
208 quem tremat et Babylon et magni regia Parthi
209 atque omnis regio porrecta ad Persidis oras.
210 Duxit et aeratas bellatrix Rheta catervas,
211 Panchaei regina soli, vel robore nulli
212 postponenda viro, auriferi cui Gangis in arvis
213 Herculeam propter famam (genus unde trahebat)
214 concessum regnare fuit, cum femina nulla
215 nullus et externus Gangis rex imperet oris.
216 Quique colit lucos silvae felicitis Erombes,
217 venit ab Antipuli portu vicinus Eois
218 Asteropus, pontum qua turbidus influit Indus.
219 Quique habitant Meroem calidam populosque Biumbres
220 Cononisque aras, silvester ubi hostia taurus
221 mactatur. Liquit fortis Sesoster Asytem,

222 Lichaque deserta est, statio gratissima barris.
 223 Quaeque olim clausit Pellaeus ferrea ductor,
 224 Caspia transivit reseratis ostia portis
 225 Acirius gentesque feras deduxit in orbem
 226 Caucaseis nostrum de rupibus, unde Getarum
 227 barbarus erupit saevis exercitus armis,
 228 cujus adhuc Romana pavet formidine pubes.
 229 Arrius infestis deserta per invia telis
 230 Artacone ferox Zoroaster venit ab urbe.
 231 Qui gelidas rapidi potant Tolerantidos undas,
 232 qui Bozim Sodimumque bibunt viridemque Parospum,
 233 quique colunt Gerusos et celsae moenia Drancis,
 234 vicinaeque Euro gentes montanaeque Bactra,
 235 in nostrum jurata caput, sub rege Nearco
 236 mille sagittiferos misere in bella maniplos.
 237 Quin et Cethenses misit Carmania turmas,
 238 quicquid et Hyrcanum et rubras interjacet undas,
 239 arma ferox rapuit, quorum dux acer Orodes
 240 Arsacidum longo referebat stemmate nomen.
 241 Nec non bellatrix rapiens Thermessa cohortes
 242 Thermodonteis longe prorupit ab oris,
 243 cui soror Antiope cursuque insignis Aello,
 244 cui comes Asterope, cui viribus inclyta Malpe
 245 Artemisque hasta et certis Menalippa sagittis.
 246 Has Thermessa sibi belli pacisque ministras
 247 legerat et casus fidas cognorat in omnes.
 248 Fortis et ante alios mirandi roboris Alcon,
 249 qui solitus fuerat magnos laniare leones
 250 solus et in silvis tigres agitare rapaces
 251 fulmineosque apros lato disrumpere ferro,
 252 mille feros equites protraxit ab urbe Tigrannis ;
 253 Salsaque sex in nos armavit Gerra catervas.
 254 Liquit et Ascaniam Turcarum acerrimus Hector,
 255 qui Phrygii sese Priami de sanguine cretum.
 256 Mentitus falsa ducebat origine nomen.
 257 Quid Libyes gentem memorem populosque feroces ?
 258 Africa namque omnis Maumetti infecta venenis
 259 aeterni conata ! Idem est subvertere Christi :
 260 Qui Syrtes habitant ambas arasque Philenas,
 261 qui Sabacra colunt atque alte mema Leptis,
 262 qui calidas Thenas arentisque aequora Tapsi.
 263 Movit et Arsinoe et mutato nomine Barcae
 264 potatorque Dedris, cujus calidissima nocte
 265 est aqua, frigentesque die de fonte liquores
 266 emanant, mutatque vices - mirabile visu.
 267 Mortifera et Gange clarissimaque insula Menis,
 268 viperei Psylli, Garamas sine veste Maceque
 269 infidi venere omnes sub rege Molorcho.
 270 Nec non ardenti Nasamon praecinctus arena,
 271 quamquam occludit iter tellus serpentibus atris,
 272 per tamen anfractus et per loca plena ferarum
 273 tam longum emensus spatium discrimine tanto
 274 fixit in Assyriis tandem tentoria terris.
 275 Palmyra Romani imperii et contermina quondam
 276 Parthorum diris vix tunc cessavit ab armis.
 277 Quis tot diversas gentes, quis nomina pandet
 278 ductorum ? Non tot quondam, cum jungeret Helles
 279 Persarum rector mirandis pontibus aequor,

280 misit in Europam populos, qui Palladis arcem
281 evertit, sulcavit Athon, quot tempore nostro
282 ante tuam, Assyriae regina Semiramis, urbem
283 convenere acies. Variis quam dissona linguis,
284 tam vestes illis, tam mores, arma deque
285 dissimiles. Tristis pars capta cupidine pugnae,
286 pars auri et praedae in Martem raptatur amore,
287 pars odio nostri et vero contraria Christo.
288 In primis aderat Solimannus et ipse Thibaldus
289 rfferus, ac variis stimulabant vocibus iras.
290 At nos compositis rebus populisque subactis
291 Aegypti et Syriae postquam expugnavimus urbes,
292 victrices auctore Deo deduximus alas.
293 Et primum occurrit Parthorum regia nobis.
294 Multiplici quamvis esset circumdata muro,
295 capta tamen nostro cessit Seleucia Marti,
296 ut prius in mediam Parthis mirantibus aulam
297 irruerint equites, quam quis sentiret adesset :
298 securi usque adeo pugnae segnesque manebant.
299 Vix experrecti tandem clangore tubarum
300 diffugiunt. Pars arma capit, clamoribus aether
301 pertonat, inque ipsum mutantur gaudia luctum.
302 Perque domos ingens oritur, per compita caedes :
303 qui modo purpureo saltans radiabat in ostro,
304 nunc gemit et moriens tellurem sanguine foedat.
305 Protinus invasi magno certamine Carras,
306 has quoque post multas caedes parere coegi,
307 vicinaeque urbes, duo quas rapidissima cingunt
308 flumina, siderei aut coluerunt numina regis,
309 civibus aut caesis ipsas evellimus imo.
310 At Cilicum gentes atque omnis Isauria rupto
311 foedere Cappadocesque feri velut agmine facto
312 Pamphylliaeque urbes post tergum bella capessunt,
313 sive quod in pugnam multo commoverat auro
314 rex Asiae Solimannus, seu genus acre virorum
315 impatiensque jugi, ut sensit nos longius esse
316 et magno implicitos bello, surrexit in arma.
317 Terrerent quamvis Orientis mille phalanges
318 Africaeque extremis in nos ferretur arenis,
319 Remorum electas jussi tamen ire cohortes,
320 Ricceriumque ducem nulli virtute secundum
321 Uggeriumque dedi, ut faciles post terga recessus
322 servaret nobis, terra pelagoque rebelles
323 expugnent pacemque bonis et foedera ponant.
324 Invadunt primum Cilicas, qui classe parata
325 ingentes toto ducebant aequore praedas.
326 Proditor Artavades astu metuendus et armis
327 Dux erat et Tarsi celsas erexerat arces,
328 oppida munierat solers contermina ponto,
329 imbelles populos longe procul aequore silvis
330 abdiderat. Sed nulla diu fortuna perennis
331 proditione fuit. Rhodius certamine primo
332 Euphranor victor captis mersisque carinis
333 expulit e ponto Cilicas. Mavortius heros
334 Artavadem Uggerius telo confodit ad amnem
335 Androchum, poenasque dedit Lodicens Alexis
336 perfidiae. Qua Cappadocas disternat Ida
337 a Galatis, clades ingens illata superbis

338 hostibus, et captas subvertit funditus urbes
 339 Riccerius. Periere omnes, confossus ad unum,
 340 quisquis in aeternum Christum bella impia sumpsit.
 341 Pausaniam scelerum auctorem rupere quadrigae
 342 in frustra et sanie macularunt viscera campos.
 343 Interea caput Assyriae Babylona superbum
 344 aggredimur, licet a muris procul aequore velox
 345 Parthorum infestis volitaret cursibus agmen.
 346 At volucres equites primum certamen inibant ;
 347 moxque leves pedites multis hinc inde diebus
 348 arma ciunt levia ; et totis non itur in enses
 349 viribus et pugnae accingit se quisque futurae.
 350 Persarum rex Cyrus erat, Zenobia cuius
 351 uxor divina Christi se laverat unda.
 352 Haec precibus multis noctesque diesque maritum
 353 expugnat monstratque fidem cogitque morantem
 354 impia sacrilegi deponere sacra tyranni
 355 et colere aeterni verissima numina Christi.
 356 Hic bellatrices Susis abduxerat alas
 357 impiger atque omnes belli cognoverat artes.
 358 Saepe lacescendo circum mea castra volabat
 359 terrebatque acer, fruges et flumina nostros
 360 longius a castris prohibebat quaerere, ut hostis
 361 esse putaretur. Ne furta latentia quisquam
 362 depredatve dolos, paucis comitantibus heros
 363 nocte intempesta nostra ad tentoria venit.
 364 Submotis aliis vix uno interprete tantum
 365 enarrat, qui sit, quae causa attraxerat illuc.
 366 Pugnaces armasse manus caedesque peractas
 367 teste Deo excusat, quoniam sic tutius hostes
 368 fallere et insidias posset celare futuras.
 369 "Crastina Maumetti lux est natalis, honore
 370 quae colitur, cessatque operum labor. Improbis omnis
 371 indulget Veneri et dapibus lasciva juvenus.
 372 Castra rape et mediae tenebroso tempore noctis
 373 principium pugnae tibi sume. In cardine tanto
 374 ipse ego terga premam et circum divortia ponam
 375 instructos equites et custodire jubebo,
 376 agmina ne retro latis palantia campis
 377 diffugiant reparentque novas in proelia vires."
 378 Dixerat et rapidus retro sua castra petivit.
 379 At me cunctantem percussi foederis obses
 380 filius impellit Phineus, populosque ducesque
 381 enumerat moresque virum, semperque catervas
 382 adventare novas Solimanno et crescere turmas,
 383 quod nisi surgentes properem disrumpere vires :
 384 "Omnibus obsessum vacuati viribus orbis,
 385 quae te post virtus, quis te deus eximet illinc ?"
 386 Vix matutinis flammis fulgebat Eous,
 387 cum subito proceres et belli lecta juvenus
 388 convenit, quibus instantis sententia pugnae,
 389 quae sit, et adventum Persae remque ordine pando.
 390 Omnibus idem animus Martis tentare furorem ;
 391 arma parant alacres et curant corpora somno,
 392 ut nocte invigilare queant pugnaeque laborem
 393 protrahere et validis proscindere viribus hostem.
 394 At Maumettanae celebrant convivia turbae
 395 solemnemque diem ludis festisque choreis

Dans l'ensemble du texte le verbe 'prehendere' et ses composés sont donnés sous cette forme complète, alors que la scansion impose la forme syncopée 'prehendere'.
 Pour alléger la tâche de notre logiciel de scansion (qui sait traiter ce problème, mais avec, à chaque fois, une procédure prudente, donc un peu longue), nous avons choisi de substituer la forme syncopée à la forme complète.

396 more suo ducunt et cincti tempora sertis
 397 saepe replent veteri spumantia pocula Baccho
 398 ad multam noctem, donec sopor obruit artus
 399 marcentes vino. Nullo custode per herbas
 400 prostrati nudo jacuere sub aetheris axe
 401 conciderantque inter plenis tentoria mensis.
 402 Interea Cyrrhus, valli custodia forte
 403 cui cecidit, Persas secreta in valle vocatos
 404 admonet et seriem pugnae et simul omnia pandit
 405 incenditque animos dictis, tumque instruit armis.
 406 Quin etiam Ruspinna, duci gratissimus augur,
 407 sidera qui caeli, ponti qui norat arenas :
 408 "Vicimus," exclamat, "cives ! Vidistis in ignem
 409 confugere expulsos aquila insectante dracones ?
 410 Ecce ferox serpens gemino vexatus ab hoste :
 411 Maumettana lues Persarum corruet ense.
 412 Ipsa Jovis signum est Romani principis ales,
 413 flamma rubens nobis, Gallis est aurea flamma ! "
 414 Nec plura. Accingunt sese pugnamque futuram
 415 expectant alacres et sidera tarda queruntur.

IV

C_4 v.1 Noctis erat medium, curis cum fessa diurnis
 2 corpora Lethaeo demulcet vimine Somnus.
 3 Protinus armati proceres omnisque juvenus
 4 aere nitet radiisque ferit fulgentibus astra.
 5 Praemoniti rursus gladios flammamque ferentes
 6 invadunt nullo clamore hostilia castra
 7 ardentisque animo (tanta est fiducia palmae)
 8 insiliunt vallum, certatim irrumpere cuncti
 9 festinant primique hostem reperire laborant.
 10 At dux Orlandus sopitas primus in alas
 11 irruit et fossas et vallum transvolat altum
 12 castrorum primumque ducem confodit Amyntam,
 13 Alconis fratrem, qui tunc vigilabat in ipso
 14 aggeris ingressu custos, aliosque repente
 15 interimit vigiles et lato limite portas
 16 evellit nudoque viam mucrone recludit.
 17 Thersitemque Arabem, cui tristia jurgia cordi
 18 semper erant, cui lingua potens, cui debilis armis
 19 dextera, distortis membris gibboque recurvo
 20 latrantem longe projectat calce supinum.
 21 Efflantesque merum numerosa caede catervas
 22 dilacerat. Reges quaerens ipsumque Thibaldum
 23 interiora petit castrorum sanguine rorans.
 24 Mox proceres alii ingressi trepidantia castra
 25 prosternunt late innumeram sine nomine plebem.
 26 Haud aliter, Libyci siquando mane leones
 27 dilaniant imbellis pecus pastore fugato
 28 et taetro horrentes deturpant sanguine villos.
 29 Proxima quaeque ruunt, sternuntur inertia passim
 30 agmina Marmaridum. Caelum sonat omne tumultu.

31 Dux Chechebas Judaeus erat - crudelior alter
32 non fuit et Christi sacris infestior hostis - ,
33 cui tamquam fido custodia credita regum.
34 Stertentes clamore duces in bella vocabat :
35 "Surgite, Francus adest ! Castris pugnatur in ipsis !"
36 Haec dicens stricto contra nos fulminat ense
37 mille trahens equites. Hac heros impiger ala
38 stipatus, quacumque fugam stragemque suorum
39 senserat, occurrit reficitque in proelia pulsos
40 restaurans pugnam. Nostrum jam tardius agmen
41 primum ibat retroque pedem formidine noctis
42 vertebat. Caecam geminabant nubila noctem,
43 confususque sonus, strepitus clangorque tubarum
44 omnia turbabat. Facinus miserabile forsitan
45 Galli admisissent per mutua vulnera caesi,
46 ni propere ardentes taedas Milonia turma
47 inter bellantes equites per castra tulisset.
48 Tunc Chechebam nudo vidit mucrone per umbram
49 horrendumque globum montani fluminis instar
50 perfurere et solos Judaeos castra tuentes,
51 intonat Orlandus : "Sceleratam sternite gentem !
52 Patrati in Christum sceleris luat impia poenas !
53 Vos manus imbellis recutitaque turba, tot hostes,
54 vos," inquit, "dominos terrarum sustinet orbis ?"
55 Nec plura, adversum proscindit turbidus agmen.
56 At procul a laeva castrorum in parte Rinaldus
57 una equitum tantum suffultus perfurit ala,
58 invadit Libycas acies et Marte secundo
59 prostratos somno pedibus proculcat equorum
60 ruptantesque merum Parthos Albanaque mactat
61 agmina fidentesque arcu dirumpit Iberos.
62 Ut longa stimulata fame fetuque relicto
63 mane leaena fremens Massylis prodit ab antris,
64 rugit et objectas prorumpit fulmine caulas,
65 congestas prosternit oves partesque per omnes
66 saevit et horrendae furit ardentissima caedis,
67 haud minus in densas acies Amonius heros
68 fertur et innumeram expingens in Tartara turbam
69 Strymoniae regem gentis detruncat Acastum
70 de patre Thracensi, Argiva de matre creatum,
71 cui Mulus cognomen erat, fratremque Thibaldi
72 Arsinoum tota, quam longa est, perforat hasta.
73 Ipse faces Ganus plena ad tentoria jactans,
74 torquebatque atras soboles Ponteria flammis.
75 Stramineasque casas paleis et harundine tectas
76 corripit ignis edax, et lambunt astra favillae.
77 Haud secus, ingentem silvam cum flamma sonora
78 invasit, strident frondes, fugiuntque volucres,
79 et juga cum sonitu superat Vulcania pestis,
80 talis erat species camporum nocte sub atra.
81 Ipse inter primos Bavarius agmine ductor
82 natorum fultus torpentes ense catervas
83 aggreditur magnisque suos accendit in hostem
84 vocibus : "Incassum tam dextram amittere noctem
85 quis vestrum patietur ?" ait, "Descendit ab alto
86 Angelus et laete denuntiat omina pugnae !
87 O nati, o socii ! Madidas prosternite turmas !"
88 Sic Phrygias quondam rector Neleius alas

89 frangebat senior juvenili robore canos
90 ostentans Scaee Teucros ad limina pellens ;
91 haud aliter Namus medios defertur in hostes.
92 At nos invicta stipati utrimque cohorte,
93 quo belli moles majorque fremebat Erinys,
94 deferimur latamque viam consternimus ense.
95 Bovius et Claron, fortissima pectora, fratres,
96 quis fuerat nostri custodia credita valli,
97 ut videre fugam et turpi formidine captos
98 senserunt hostes palantiaque agmina totis
99 turbari castris - monstrant incendia campos,
100 et late crepitant claris tentoria flammis -,
101 protinus erumpunt statione et calce volantes
102 ferrata alipedes fodiunt et proelia tentant.
103 Torpentesque metu cedunt somnoque gravatos
104 excipiunt, frangunt, lacerant, tota agmina pellunt.
105 Ut quondam Alpinis nivibus sive imbribus auctus
106 stridore ingenti Rhenus per Gallica fertur
107 aequora, vel praeceps Latii Padus aggere rupto
108 obvia quaeque trahit : segetes, armenta virosque,
109 sic Maumettanae gemino discrimine turbae
110 oppressae intereunt. Complures perculit ensis,
111 curribus elisi multi, lectisque sub ipsis
112 marcentes vino torsit Vulcanius ardor.
113 Maxima fit strages, fusi ceduntur ubique
114 Hyrcani Mardusque ferox et Bactrus et Indus.
115 Ipsi etiam Parthi, quis formidabile robur
116 et rabies fera Martis erat nostrique cruoris
117 saevus amor, nigrae confisi munere noctis
118 arripuere fugam et notas labuntur ad oras.
119 Sed frustra : velox projecta Bovius hasta
120 instat et electos equites demittit in hostem.
121 Excitus insidiis instructo milite Cyrrhus
122 Palantes clamore premit retroque ruentes
123 impellit. Totisque oritur trepidatio castris.
124 Innumerae quamvis opplerent aequora turmae,
125 nos tamen ingenti distrinximus arma furore.
126 Interea reges, Solimannus et ipse Thibaldus
127 Burratusque gigas et rector Porus Idaspis
128 ductoresque alii, quos turpis somnus habebat,
129 commoti tandem arma ferunt pugnamque capessunt.
130 Sed strepitus clamorque virum noctisque tenebrae
131 incertos reddunt ; trepidant ; geminantque pavorem
132 tot variis linguis gentes animisque deisque
133 dissimiles. Tanto commorant bella tumultu,
134 quo prius occurrant dubii, ne fraude suorum
135 circumventa acies flammis ferroque necetur,
136 ebria neu multo calefactaque pectora vino
137 has temere ediderint turbas, hostesne suosne
138 esse putent : tantis reboat clamoribus aether.
139 Praeterea obscurus picea caligine fumus
140 densabat tenebras noctis caelumque tegebat.
141 Dum trepidant, Scythicae ecce volat regina catervae
142 ingenti clamore vocans in proelia pulsos :
143 "Sistite ! Quo fugitis ? Pedibus sperare salutem
144 nemo ausit ! Gladio medios frangenda per hostes
145 est via ! Cuique suum propulset dextra periculum !
146 Saepe sub extremis vires spes ultima rebus

147 suscitatur, et victis rediit Fortuna secunda.
148 Christicola in nostris edet tot funera castris
149 impune ? Heu, nostrae torpent ad proelia dextrae !"
150 Nec plura. In medios hostes furibunda volantem
151 torsit equum et fortem transverberat ense Gryphonem.
152 Inde Maganteos incendia dira ferentes
153 invadit palmamque hosti moritura cruentam
154 liquit victori, cui Malpe et fortis Aello
155 haeserunt comites pharetrataque turba puellae.
156 Jamque loco paulum Ponteria cesserat ala ;
157 successuque ferox clipeo post terga remisso
158 scindebat densas acies Thermessa securi.
159 Sola fugam vetuit, tanto commorat Amazon
160 bellatrix terrore viros certeque sagittae.
161 Confixae periere omnes. Vix una superstes
162 servatur nostro Malpe captiva triumpho.
163 Parte furens alia metuendo robore quercus
164 Normannos Bassosque retro Burratus agebat,
165 Bellovagos Remosque premens Celtasque potentes
166 plurima per campos edebat funera victor.
167 Ipsi omnes reges audita caede suorum
168 conveniunt ; qua tela vident densissima, tendunt :
169 in primisque ferox Alcon et corniger Amon
170 Lysimachusque Thracis protectus pelle leonis
171 Arsacidumque acer clara de stirpe Phraates
172 evolat et curru princeps Solimannus in alto.
173 Per densasque ruunt acies facto agmine reges
174 victoresque retro pellunt perimuntque Simungos,
175 Succonos Phrisosque. Alia nam parte Rinaldus
176 Bactrorum turmas Indorumque impiger agmen
177 scindebat Martemque ipso cum rege gerebat.
178 Et quamvis ingens procerum belua Porum
179 ferret, et horrendis prosterneret omnia pilis
180 pectoraque horrifero gereret protecta dracone,
181 non tamen Albanum potuit depellere telum,
182 quin scissis squamis proscinderet inguina cuspis.
183 Sed nudo ante omnes saevus furit ense Thibaldus,
184 exclamat revocatque suos precibusque minisque,
185 sistit anhelantes trepida formidine turmas.
186 Interea Gigius deletam nuntiat alam
187 Albanumque omnem populum cecidisse Rinaldo
188 adversosque duces pugna insultare secunda.
189 Hoc ubi flammato accepit Mavortius heros
190 pectore, festinat per tela horrentia caesos
191 ulcisci : insanum virtus, dolor, ira furorque
192 praecipitant. Catulis ut belua Caspia raptis
193 Hyrcanos lustrat montes et percita cursu
194 praedatoris iter vestigat lumine torvo
195 absentemque hostem rictu truculenta minaci
196 insequitur : talis bellantis imago Rinaldi.
197 Vicino interea pallebant sidera Phoebos,
198 purpureumque diem roseis Aurora quadrigis
199 vectabat ; diros licuit tunc nosse furores
200 cernereque infectis prostrata cadavera campis.
201 Tunc nostri incubuere magis, ne praemia palmae
202 jam partae amittant. Illos spes nulla salutis
203 concitat, et vitae labentis prodiga virtus
204 in sua fata rapit. Firmantur et agmine denso

205 invadunt circumque premunt artaque corona
 206 mucronum expugnant. Stat contra interritus heros
 207 Burratus : magnis praegrandem viribus ornum
 208 torsit in Albanum. Volat illa per aera saevo
 209 stridore et galeae longe asportavit honorem,
 210 terribilem cristam, Libyci caput acre leonis.
 211 Inde alii reges dextra laevaue minantur
 212 infesti : primusque Alcon thoracis aeni
 213 nequicquam tegmen cantato perforat ense,
 214 Antiochique gener fatalibus Hasdrubal armis
 215 terga premit, laevumque latus Polynestor et Hector
 216 urgent ; ora ferox Petraei impetit heros.
 217 Jam quasso thorace cruor manabat ab omni
 218 vulnere, et exhausto ceciderunt sanguine vires,
 219 stat tamen intrepidus caelesti numine fretus,
 220 sustinuit solus pugnantum fulmina regum.
 221 Huc ego pugnacem direxi forte cohortem,
 222 et, me quae circum volitabat, regia turma
 223 distrinxit gladios clavaque immane minantem
 224 circumfusa premit magno clamore gigantem.
 225 Ille, velut turris celso super edita saxo
 226 ventorum spernit flatus tormentaue temnit
 227 bellantumque minas, sic vasta mole superbus
 228 spernit tela gigas et dura murice tectus
 229 irridet frendensque instantes despicit hostes.
 230 Mox actus furiis rabidasque accensus in iras
 231 immanes caestus, ingentia pondera plumbi
 232 serpentum coriis multisque insuta juvenicis,
 233 torquebat pluresque ictu lacerabat eodem.
 234 Ut vidi, ingemui casum miseratus amici,
 235 inter confertas stricto mucrone catervas
 236 meme conjeci telisque instare tremendis
 237 non timui, quem tota cohors equitesque secuti :
 238 Bovius et Claron et Narbonensis Alardus,
 239 Martellus Namusque duces Asturque Britannus.
 240 Collatis dextris reges cum regibus omnes
 241 conseruere manus. Tonat arduus ictibus aether.
 242 Quid referam validam letalis turbinis hastam,
 243 viribus Herculeis Phrygius quam torserit Alcon ;
 244 fulmineo ut galeas disjecerit ense Thibaldus
 245 Martius et partes una pugnarit in omnes ?
 246 Mille putes gladios dextra levaue micare !
 247 Quis comitem egregium narret Pallanta Thibaldi ?
 248 Quot sua dextra viros una sub nocte peremit !
 249 Lampallesque ferox et Achillas, accola Nili,
 250 Astaropi ignoto Meroe quo fonte rigatur,
 251 excidium nostrae gentis, qui tela veneno
 252 illita torquebat, quo non praesentius ullum est.
 253 Hunc tamen Albertus, Gani generosus alumnus,
 254 praevenit jacta tendentem spicula corno
 255 trajecitque simul dextramque arcumque sonantem
 256 fixit, et excussae telis sonuere pharetrae.
 257 Jam medium caeli ascendens sol igneus axem
 258 Assyrios torrebat agros, tunc Martius ardor
 259 pugnantum multo sudore rigaverat ora.
 260 Paene omnes Fortuna loco glomerarat in uno
 261 ductores, ancepsque diu certamine Mavors
 262 erravit dubio. Pro vita et sanguine utrimque

263 pugnarunt reges. Numquam certamine tanto
 264 concurrere duces odiis et viribus aequis :
 265 tantae molis erat gentes superare feroces !
 266 Turrigeri dorso barri Solimannus in atro
 267 eversas acies profligatasque phalanges
 268 victoresque hostes caede insultare superba
 269 ut vidit, subito furialibus intonat iris :
 270 "O magni reges, revocate in pectora vires
 271 sacrorum memores, regni patriaeque meique,
 272 ne sociis hodie caesis moriamur inulti !
 273 Ecce omnis Christi proceres Carlumque videtis
 274 pugnantem atque in nos stricto mucrone ruentem !
 275 Num dextrae torpent validae ? Sine viribus ictus
 276 sunt vobis ? Ipsum nunc nunc prosternite Carlum,
 277 ne quis ab extremis Christi dux audeat oris
 278 Assyrias turbare domos ac gentis Eoae
 279 oppida formidet tentare impune laccessens !"
 280 Dixit et horrendo projecit turbine quercum,
 281 quae galeae conum nostrae cristamque comantem
 282 abstulit. Ac rursus clipeum terebravit acuto
 283 nequicquam telo et strictum clamans rotat ensem.
 284 Interea Orlandus bis denis millibus heros,
 285 quos equites numero electos sibi sumpsit ab omni,
 286 suffultus magna volitabat caede per hostes
 287 Palantes agitans Psillos Parthosque fugaces.
 288 Peucestam Hyrcanum obtruncat Cypsumque Sabaeum
 289 praefectumque Phari fugientem apprehendit Achillam,
 290 emisso telo dominum volucremque Podarcem
 291 transfixit, fulvaeque ambos extendit arena.
 292 Corruit ipse Tryphon dextra linguaque recisa,
 293 in superum regem scelerata volumina Christum
 294 qui vomuit : sensit bello, quem pace negarat.
 295 Haud secus occisis canibus pastore fugato
 296 Aethiopum saevi lacerant armenta leones.
 297 In vilem puduit gladios distringere plebem
 298 taedebatque equites servorum in sanguine ferrum
 299 tingere ; majori laudem quaerebat ab hoste
 300 Orlandus regesque dari cupiebat et ipsum
 301 Burratum aut acrem in pugna reperire Thibaldum.
 302 Tandem ubi submoto nigrescere pulvere caelum
 303 vidit et horrentes strepitus audivit equorum,
 304 credidit infestos, ut erat, concurrere reges.
 305 Praecipiti cursu medios delatus in hostes
 306 sanguineo annexam fregit mucrone phalangem,
 307 qua subito irrupit nimbosus turbo volantum
 308 alipedum et densis tempestas horrida telis
 309 exoritur. Regesque cadunt, vix ipse Thibaldus
 310 Aemonio dilapsus equo est, quem Thracius Alcon
 311 labenti dederat regi. Sed vulnere tardus
 312 vix fugit Martem incusans et numina divum
 313 saevaque in auctorem legis convicia torsit :
 314 "Perfide Maumette ! Haec, haec sunt tua praemia ? Clades ?
 315 Exilium ? Luctus ? Das haec tua sacra colenti ?
 316 Sed, te demissum, mentitur, quisquis Olympo
 317 asserit et frustra dat thura calentibus aris !"
 318 Talia vociferans summo in discrimine rerum
 319 Burratum ac socios turbataque castra reliquit.
 320 Continuo irruimus felici Marte calentes

321 cedendo obstantes : fuga, terror, mortis imago
322 ceperat hostiles acies. Jam sanguine campi
323 undabant, passimque natantia viscera tabo
324 impediante fugam : caesorum tantus acervus
325 exstitit. Hoc nostras paulum compescuit alas.
326 At postquam Herculea Burratus origine cretus
327 sese desertum nec posse evadere cernit,
328 porrexit clavam et nobis se tradidit ultro,
329 pollicitus Christi divino in fonte renasci
330 ac supra Aethiopas crucifixi extendere nomen.
331 His veniam dictis tribui clavamque rependi.
332 Diffugiunt hostes et dilabuntur inermes
333 amissis castris sine spe ducibusque peremptis,
334 quales confracta medio sub gurgite ponti
335 navi haerent scopulis nautae, circumque sonora
336 unda fremit, salsaque madent aspergine cautes.
337 Jamque Aurora diem tulerat, votisque peractis
338 Caelicolum regi decoramus honore sepulchri
339 Gallorum proceres et corpora caesa virorum,
340 felicem peperere suo qui sanguine vitam.
341 Tempora velati post haec florentis olivae
342 legati Babylonae aderant pacemque rogabant.
343 Obsidibusque datis, vellem quaecumque, paratos
344 se dixere mihi, nec posthac saeva rebelles
345 arma inferre piis, sed equos, frumenta, carinas
346 praebere et comites se gnaros esse locorum,
347 seu peterem Aethiopes vel pingua culta Sabaeum,
348 seu matutinis vicinos solibus Indos,
349 vel Bactra et Scythiae torpentes frigore montes.
350 Ast ego, discessum nostrum mora ne qua retardet,
351 indixi leges et certo foedere pacem.
352 Ipse Artabanus, post funera fratris Hirodis
353 Parthorum princeps, fraudem commentus et astum
354 ad me oratores, auri quoque magna talenta
355 misit et, ut peterem campos, hortatur, apertos
356 vitaremque altas rupes atque invia saxa,
357 causatus nullos arenti in vertice fontes,
358 planitie ut lata volucris turbare sagitta
359 gens infida queat nostrasque invadere turmas
360 tutius et missis fugiens eludere telis.
361 Sed nos Romani docuerunt funera Crassi :
362 frenatis instructus equis statione vicissim
363 mutata pariter tergum cum fronte tuendo
364 ibat eques, ne sors aliquos inopina tumultus
365 gigneret in castris et nos turbaret euntes.
366 Quid referam, quotiens mediis in saltibus hostis
367 insidias struxit, quotiens erupit apertum
368 in campum et versis ficta formidine habenis
369 terga dedit ? Gallos decurrere longius ausos
370 conversis urgebat equis densissimus hostis.
371 Non tamen audebat paribus concurrere signis
372 nec propius conferre manum, sed Marte fugaci
373 undique rarus eques volitabat in aequore Parthus.
374 Non impune tamen : dumosis abdita silvis
375 Francorum legio Medos excepit et arcta
376 alipedum turmas inclusas valle peremit.
377 Praeterea tristi fluvius cognomine Charon
378 sole sub ardenti nos unda accepit amara,

379 quae subito infandos gignebat pota dolores
380 cogebatque mori. Sola huic medicina Lyaeus.
381 Nec minus horrendis crocodrilis plena lacuna
382 interceptit iter. Sed -formidabile visu !-
383 valle sub obscura vastum reptare draconem
384 vidimus. En hujus testentur tergora pellis,
385 belua quanta foret ! " - Jussitque afferre tremenda
386 serpentis spolia. - "Hunc, o rex, potuere cohortes
387 vix superare decem. Strepitus ut sensit equorum,
388 ut sonuere tubae, caput alta in nubila tollens
389 intonuit saevo frendens stridore per auras
390 tabificam immensis saniem de faucibus efflans !
391 Mox invadit equos trepidantesque ore trisulci
392 frangit hians totosque horrendam condit in alvum.
393 Inde alios hostes furiali percitus ira
394 aggreditur supraque urget cervice minanti,
395 sibilat infrendens flammantiaque ora veneno
396 torquet et afflatu necat hos et conterit illos
397 squamosi elisos vasto sub pondere ventris.
398 Belua jam victrix totum converterat agmen.
399 At proceres lecto cum robore protinus illuc
400 accurrunt missisque obscurant aera telis.
401 Victricisque caput primum Milonia cuspis
402 fixit et undanti rubicunda cruore pependit.
403 Me autem ferri impatiens stridore cohortes
404 percutit horrisono, mandit laceratque voratque
405 nequicquam excutiens haerentia tela cerebro.
406 Acrius hoc omnes magnis clamoribus urgent
407 conjectantque hastas ; unique sonantia saxa
408 evomit et grandes stridens balista molares.
409 Haud secus excelsam stat circum exercitus urbem
410 et quatit aethereas ferrato robore turre.
411 Vix tandem durum contorta phalarica tergus
412 rupit, et ardentes oculos Cretensis harundo
413 abstulit, et solito labefacta est spina rigore.
414 Tunc demum in multo porrectus jugere serpens
415 concidit infectas exhalans virus in auras.
416 Horrori prostratus erat, nec tangere quisquam
417 audebat : tantum serpens terroris habebat.
418 Hunc quondam solitum nobis dixere coloni
419 ad vada deprensos tortae curvamine caudae
420 silvestres tauros vivosque haurire leones.
421 Multaque praeterea variis animantia formis
422 occurrunt, raros dum juxta tendimus amnis,
423 Eoae dum lustra plagae saltusque pererro
424 Parthorum, intactos Arabas sine flumine lustro.
425 At mihi celatos retegebat transfuga fontes.
426 Hic Satyros vidi cornu pedibusque caprinis
427 et celeres, quondam silvestria numina, Faunos
428 depictumque Caum aspexi cephamque nocentem
429 et crocotam duris frangentem dentibus aera.
430 Vidi leucrocotem nostris occurrere turmis,
431 altera nec pejor Nabathaeo est belua saltu.
432 Contra formose geminae nabuta figurae,
433 terga notis pardi dorsumque imitata cameli
434 Aethiopum errabat calidos mansueta per agros.
435 Quid referam picea tinctos caligine fambros
436 milleque praeterea variarum monstra ferarum ?

437 Vallis arenosa Aegypti disternat arva
 438 Cyrenemque urbem. Tandem post mille pericla
 439 huc veni, infidi deceptus fraude Sylaei,
 440 qui breviora viae facilis compendia monstrans
 441 in magna adduxit nostras discrimina turmas.
 442 Perfidiae demum poenas dedit ille nefandae :
 443 nam dum per siccas exercitus errat arenas
 444 serpentesque premit flava tellure latentes,
 445 fervidus antevolat turmas Amonius Ajax
 446 atraque ductorem basilisci objecit in ora.
 447 Hic necat afflatu frutices aliosque colubros ;
 448 dum fremit et recto per arenam corpore saevit,
 449 interimit, quicquid flammato lumine cernit :
 450 Africa non gignit monstrum damnosius illo.
 451 Illic heu nostras morbi afflixere cohortes
 452 atque atrox grassata lues, seu tabidus aer,
 453 seu gravis autumnus violento incanduit aestu,
 454 seu, quod pestiferis exhausta paludibus unda
 455 sicca venenato corrumpit corpora tabo.
 456 Heu, plures pestis quam pugna adversa peremit !
 457 Amissis illic multis Mareotica tellus
 458 accepit fessos rerum, portuque Canopi
 459 Pisanus dudum structa cum classe Nearchus
 460 nos exspectabat, Rhodiusque Euphranor ab oris
 461 Persidis et rubris aderat dux impiger undis,
 462 quem spectatorem Oceani Nilique tepentis
 463 praemisi fontis ; nobisque exacta referret,
 464 quid regio diversa ferat, montesque lacusque
 465 inspiciat, quae sit toto insula maxima ponto,
 466 Taprobani an terra divisa Britannia cedat,
 467 praesertim extremi videat miracula Gangis
 468 Aethiopumque feros mores, ut flammeus illos
 469 sejungat vertex aeternis ignibus ardens.
 470 Nam juga trans Scythiam gelidis concreta pruinis
 471 Saxonibus domitis glaciale victor ad Albim
 472 Architam senis jussi explorare carinis,
 473 scire homini quantum liceat, mihi visa referret.
 474 Sed te quid teneo ? Ter centum navibus illinc
 475 discessi et Tyrias primum delabor ad oras.
 476 Mox dextram Euphranor proram detorsit ad undam ;
 477 et portum solis flumenque intramus et aedem
 478 Isidis et Paphiae eruimus monumenta nefandae.
 479 Ejectisque dedi priscis cultoribus urbem
 480 Christicolae ritusque novos, nova sacra colonis
 481 indixi. Et geminas discedens aequore Clidas,
 482 uberis in morem seu saxa minantia Cypro,
 483 aspexi. Inde ferum dejeci Acamanta tyrannum
 484 praedonemque maris, cujus sub postibus altis
 485 ora virum semper pendebant pallida tabo.
 486 Inde Jovis lucum Arsinoemque allabimur urbem,
 487 victricique Paphon confestim classe subegi.
 488 Hanc quoque lustrari dejecto Agapenore jussi.
 489 Hospitio nos sola Rhodos suscepit amico.
 490 Rex illic Clitarcus erat, Pipinius hospes,
 491 qui subito ut classem appulsam veterisque sodalis
 492 me natum longe venientem in litore sensit,
 493 quamvis Nestoreis gressum tardantibus annis,
 494 accurrit tamen et meme complexus inhaesit

495 laetitia illacrimans et sic deduxit in urbem.
 496 Illic, ventosis dum frigida bruma procellis
 497 horret et aerei subvertunt aequora venti,
 498 mansimus atque novas iterum subtexere pinus
 499 jussimus et putres ferro explorare carinas.
 500 Ac requie alterna renovato in corpore vires
 501 amissae redeant, animusque valentior armis
 502 gliscat. Vere novo positus ceu lubricus anguis
 503 exuviis viridique minax exsultat in herba,
 504 vivida sic posito pubes langore nitescit.
 505 Tendimus inde iter occiduum spirantibus Euris.
 506 Veliferae postquam pontum tenuere carinae,
 507 terra procul solusque aer spectatur et unda,
 508 ex oculis est rapta dies, subitoque sereni
 509 mutata est facies ; noctescit nubibus aether,
 510 transversaeque Notus picea caligine tinctus
 511 sibilat, et crebri scissis e nubibus ignes
 512 horrendo terrore micant, et fluctuat imo
 513 convulsum pelagus nigrasque eruptat arenas.
 514 Nunc sonitu ingenti sese sub valle resorbet
 515 albentesque iterum fluctus ejectat in auras.
 516 Euphranorque viam nigra sub nocte fatetur
 517 nescire et, quoniam vexant contraria classem
 518 flamina nec possunt remis evincere pontum,
 519 invitus clavum gelidas detorsit ad Arctos.
 520 Septima vix tandem cum sole Aurora reluxit,
 521 et facta venti cum ponto pace quierunt,
 522 tunc jubeo rursus validis incumbere remis
 523 linquereque infidos Cilicas sulcataque rursus
 524 aequora certatim ferratis scindere proris.
 525 Atque iterum pelagi dictas perlabimur oras
 526 Pamphylii Lyciique sinus et inhospita Glauci
 527 litora, turgebat saxo procul Imbrus in alto.
 528 Protinus ut virides aspexi e classe Britannos,
 529 non adeunda, tuum vitavi, Caunia, portum.
 530 Nec procul aethereus sublimi vertice Phoenix
 531 apparet, sed jam valide spirantibus Euris
 532 post tergum portus Asiae litusque relinquo
 533 et loca Graiorum quondam celebrata colonis.
 534 Gnosiaci jam Theraeque maris Iosque videri
 535 coeperat, aeternum claudunt ubi saxa poetam.
 536 Jam Jovis Idaei medio clarissima ponto
 537 Creta patet, Cimarumque prius se tollit in altum,
 538 Mons Lycti extensus gelidas Aquilonis ad arces.
 539 Hunc primum appello portum Gnosumque requiro,
 540 haud sane hospitium fidum. Salaminus habebat
 541 Pydnaeus falso Curetum e sanguine cretus
 542 imperium. Veteres ritus et sacra tonanti
 543 me - Betarmones Corybantiaque aera - crearat
 544 Idaeoque Jovi templum de more vetusto
 545 fecerat ambrosiasque comas regaliaque ora,
 546 torva supercilia et jaculantem fulmina dextram.
 547 (Archetypum solido finxit Lysippus in auro.)
 548 Mox populis Cretae Idaeo testatur in antro
 549 se vidisse Jovem torva cum fronte minantem
 550 neglectum natale solum subversaue templa.
 551 Quod nisi divinas sibi pubes erigat aras,
 552 Gnosia confestim tumidis mergetur ab undis.

553 His vafer insidiis Gortynia regna recepit.
 554 Unde Cydoneus cum me venisse tyrannus
 555 sensit et appulsam Cymari de vertice classem
 556 despexit, ficta cum pace Philetora misit
 557 dona ferens ad nos urbisque invitat ad arces.
 558 Clam struit insidias faucesque intercipit artas,
 559 electos pedites nemorosa in valle recondit.
 560 Post montem occultis exercitus alter in armis
 561 stabat. At ipse dolos et Cretica dona verebar,
 562 nam mihi sacrilegi Clytargus inhospita tecta
 563 Curetisque immane nefas praedixit et astus ;
 564 quin etiam armipotens Dorilaus finibus exul
 565 Gortynae accessit nobis scelus omne retexens,
 566 ut fraudes vitem et structo cum milite circum
 567 perlustrem declive jugum faucesque relinquam,
 568 et volucres equites celeri per litora cursu
 569 transvolitent tuto sub nigra silentia noctis.
 570 Trans Cymarum a tergo invadam nil tale verentes
 571 Dindymeos hostes, aditum reditumque patere.
 572 Unde tripartitas deduxi in proelia turmas,
 573 confestimque alacer superato vertice miles
 574 interimit clipeatum agmen. Caeduntur ad unum
 575 peltati, quamvis Gortynia tela per auras
 576 crebra procellosae striderent grandinis instar,
 577 nec gens letiferas post Parthos ulla sagittas
 578 certius emittit (discunt puerilibus annis
 579 tela Cydoneo torquere sonantia cornu).
 580 Praemissique aderant equites et terga premebant
 581 Curetum. Celso nos autem e colle ruentes
 582 aggredimur trepidos, ac primum rege perempto
 583 agmina Dictaeis premimus palantia campis
 584 antiquasque Jovis sedes et Plausia templa
 585 priscaque diruimus veterum ludibria regum
 586 Glaucippique libros et Scepsi grande volumen.
 587 Legati interea cum fronde virentis olivae
 588 ad nos venerunt veniam pacemque petentes.
 589 Clenus erat princeps ; fraudes et dira tyranni
 590 acta recensebat, ne plebs innoxia poenas
 591 solveret, orabat, subjectis parcere vellem.
 592 Se, quaecumque velim, facturos jussa libenter
 593 spondet et extergens lacrimantia lumina flevit.
 594 Tunc genua amplectens orator Gnosius Andron :
 595 "Libera si paribus vinclis, rex, jura darentur,
 596 Gnosia te numquam pubes contra arma tulisset
 597 nec sacra mutasset. Pinnei dira potentis
 598 improbitas utrumque nefas patrare coegit.
 599 Parce, precor. Quid enim populi meruere malorum ?"
 600 Nec mora, concessi veniam. Tum legibus aequis
 601 Dictaeos populos sub libertate reliqui.
 602 Sic demum rebus Cretensi a litore classem
 603 compositis solvo. Tum vela ferentibus Euris
 604 pandimus et Sporadum saxosa cacumina circum
 605 tendimus et sparsas Aegeis Cycladas undis
 606 radimus. Occurrit nobis Phoebeia Delos.
 607 Tunc fera tempestas permiscens aethera ponto
 608 amissis paucis vestras me jecit in oras."
 609 Conticuit tandem Carlus ; laetoque tumultu
 610 atria mirantum et plausu sonuere secundo.

V

C_5 v.1 Interea glacialis hiems Aquilone nivali
 2 horrebat, gelidisque rigebant arva pruinis.
 3 Gallorum at magni proceres et Celtica pubes
 4 non luxu et plumis brumam thermisque fovebant,
 5 sed nunc Palladio torpentia membra liquore
 6 uncti exercebant Spartano more palaestram,
 7 nunc nivis intactae celeres per vellera currunt,
 8 ut nulla a volucris fierent vestigia planta,
 9 nunc ludunt disco, nunc lento in pulvere proni
 10 in gyro flectunt spumantia frena volantis.
 11 Sic illi in gelidis Borealia flamina pratis
 12 spernebant saevi Martis simulacra cientes.
 13 At pars ancipites recoquunt fornacibus enses,
 14 loricas galeasque novant thoracis aenae,
 15 ferrea taurino connectunt tergore frusta ;
 16 pars spoliando silvas et lustra horrenda ferarum
 17 denudant magnasque evolvunt montibus ornos
 18 glandiferasque Jovis quercus et robora caedunt.
 19 Ut renovata minas ventorum et murmura ponti
 20 irati spernant durae tabulata carinae,
 21 stuppea suspendunt proceris vincula malis.
 22 Nec cuiquam cessare datur praesentia regis
 23 assueti tolerare imbres et frigus et aestum
 24 cum plebe atque omnis pariter perferre labores
 25 urget et imperium rectorum laeta facessit ;
 26 et tales populi, quales in principe mores
 27 esse solent, studiumque ducis vitamque sequuntur.
 28 At rex Epiri, dum classem Belgica pubes
 29 quassatam reficit, dumque intractabilis unda,
 30 dum concreta riget brumali frigore tellus,
 31 Chaonios statuit lustrare indagine saltus
 32 et Dolopum et Carnae densas inquirere silvas.
 33 Fama erat ingentem juxta peragrare leonem,
 34 qua secat Ionias Achelous truncus arenas.
 35 Dicta dies aderat, cum circum regia tecta
 36 conveniunt Galli proceres Argivaque pubes.
 37 Extremis rutilans cum lucifer exit ab Indis,
 38 venantum subito portis erupit apertis
 39 agmen in arva volans ; agrestis turba Molossos
 40 aere coercebat ; latoque ardentia ferro
 41 expediunt tractantque tenaci spicula dextra
 42 audaces juvenes ; pars grandia retia tendunt,
 43 pars furtim occulto condunt in tramite captas.
 44 Inde ubi nodoso cinxere cacumina fune,
 45 vincula odoripetis canibus demuntur, et omnes
 46 disquirunt latebras et tecta cubilia dumis,
 47 defigunt nares et rostra haerentia terrae.
 48 Protinus e saxis lepores capraeque volantes
 49 decurrunt, celeresque canes fugientia terga
 50 extensis afflant rostris. Jam jamque teneri

51 credentes morsu dammae elabuntur inani.
 52 Fontibus irriguo centenis silva Talaro
 53 monte fuit semper florentibus horrida ramis.
 54 Castaneae ingentes illic et plurima fagus
 55 et densae coryli brumaque intacta cupressus
 56 et procera abies et durum robur et illex
 57 stabant et patulis ramis ad sidera pinus.
 58 Hanc densi vepres cingebant saepibus altis.
 59 Hinc rapidae ingentem multis latratibus ursum
 60 excussere canes, qui pingua culta Chimaerae
 61 vastabat ceu dira lues pecudesque bovesque
 62 horrendaque ipsos lacerabat caede colonos.
 63 Tantus erat villisque minax et dentibus asper.
 64 Ut procul immanem densis e sentibus actam
 65 audivere feram latrantiaque ora Molossum
 66 - tollitur in caelum clamor, reboatque Talarus -,
 67 spicula contorquent validis librata lacertis
 68 nequicquam Argivi juvenes. Thoracis aeni
 69 instar pellis erat non ulli pervia ferro.
 70 At fera consuetas violentius arsit in iras
 71 dilaceratque canes et retia dissipat ungue.
 72 Mox ruit in ferrum et densas rabiosa cohortes
 73 erectoque ferox per silvam corpore saevit.
 74 Nec procul infelix Guido, Magantia proles,
 75 servabat callem angustum, quem belua morsu
 76 discerpit lacerosque ejectat dentibus artus
 77 letalique alios frendens eviscerat ungue.
 78 Diffugiunt Dolopes, projectis Chaones armis
 79 commissas liquere plagas, perque invia saxa
 80 degener Aetolus, tantum mutatus ab illo
 81 Oenide, trepido cursu Calydonia petivit.
 82 Exanimos triplicis celsa de rupe Chimerae
 83 delabi ut vidit Graios Amonius heros,
 84 praecipiti lapsu, ceu saxum e rupe revulsum,
 85 ceu celer, aetherea ut vidit de nube columbas,
 86 stridore ingenti defertur chillo per auras,
 87 haud secus arrepta decurrit Martius hasta
 88 et procul exclamat : "Quae tanti causa pavoris ?
 89 State, viri ! Cohibete fugam !" Saltuque profundam
 90 transgreditur vallem et gradientem cominus ursum
 91 stridenti mucrone petit. Stat belua contra
 92 nequicquam frendens et aduncos exserit ungues.
 93 Namque iterans rigido repetit praecordia ferro
 94 villosumque femur letali cuspide figit
 95 horriferumque caput secat et sublime ferendum
 96 Argivae tradit pubi et simul increpat illos
 97 tardantes et adhuc caesum spectare timentes.
 98 Interea magnis clamoribus insonat aer,
 99 intremuitque canum latratibus utraque vallis,
 100 cum saetosus aper luco silvaque palustri
 101 excitus juvenes prosternit fulminis instar
 102 obvia prorumpens magno virgulta fragore.
 103 Haemonique femur percussit et ilia rupit
 104 et miserum socio auxilium Calydonia ferentem
 105 dentibus excussit ; confractaque viscera vepres
 106 foedarunt. Fortisque Pelops et Pyrrhus et Almon
 107 Eurydesque ferox et Agis, Spartana propago,
 108 letiferi horrendo perierunt fulmine monstri.

109 Praeduris quamquam armarant thoracibus armos,
 110 porrectum spumantis apri tamen omnia telum
 111 tegmina disruptit ; ferturque per avia praeceps
 112 nec minor Aetolo, quem Carnae et montibus Halys
 113 torva pharetratae produxerat ira Dianae.
 114 Quin etiam illius perhibent de stirpe coloni
 115 progenitum Cereri, Baccho arboribusque ruinam !
 116 Aereus huic rictus, pes ferreus, aerea saeta.
 117 Ah, quotiens olim turba irritatus agrestis,
 118 ut fera tempestas, ut nimbis concita grando,
 119 prostravit Sarati segetes Tymphaeaeque rura.
 120 Viderat hunc alta de rupe Britannicus Astur
 121 se petere erectis saetis rictuque minaci :
 122 tela manu cecidere metu, fugit ocior Euro.
 123 Forte illic patulos quercus Dodonia ramos
 124 pandebat multosque metu servata per annos,
 125 fatidicae postquam niveo candore columbae
 126 praebuerant olim priscis oracula saeculis.
 127 Hanc subito ascendit. Ramis sic tutus in altis
 128 spumantem despexit aprum. Nec segnior illo
 129 proditor annosam subrepat Ganus in ulmum.
 130 Dissipat ore canes, funes et vincula rumpens,
 131 agmina venantum disjecit anhela pavore.
 132 At rex increpitis sociis capit aerea pila
 133 fraxineamque trabem peracuta cuspide torquens
 134 callosum ingenti terebravit vulnere tergus ;
 135 victricique ferae stricto caput abscidit ense.
 136 Mox formidandus vasto prorupit ab antro
 137 non procul a liquidis Acheloi fluminis undis,
 138 qua Pindi de monte fluit, leo. Clamor ad astra
 139 tollitur ! Accurrunt proceres et spicula jactant
 140 irrita ; nec stricto propius concurrere ferro
 141 audent, sed missis irritant eminus hastis.
 142 Ille autem multo stimulatus verbere caudae
 143 horrendumque fremens saltu per tela, per hostes
 144 emicat. Hermenium lacerat, qui primus in illum
 145 torserat ingentem nequicquam viribus hastam.
 146 Non tulit Antilocus dilecti corpus amici
 147 tam foede ante oculos laniari : hostile tremendum
 148 concitat et magni perstringit terga leonis ;
 149 vaginaque ensem Pleuronius eximit heros
 150 villosasque juba acie pertentat inani.
 151 Quem fera discerpit frustra prohibente corona
 152 Francorum impavidusque trahit laceratque cadaver.
 153 Triballusque licet fugeretque imbellis Achaeus,
 154 at non magnanimis cessit fiducia Gallis.
 155 Acrius invadunt strictis mucronibus hostem.
 156 Ante alios nudo Milonius advolat ense
 157 inque feri rictum capulo tenus arma recondit.
 158 Horriferas secuit fauces et discidit artus.
 159 Hos inter motus Aracynthi a litore cervus
 160 extrusus per aperta canes et retia linquens
 161 transvolat et ventos cursu celeresque sagittas.
 162 Rumor erat decies centum vixisse per annos,
 163 cujus et inscripto collum muniverat auro
 164 Pellaeus princeps, ne quis telove dolove
 165 laederet imprudens. Sed opertum texerat aetas
 166 pelleque crescenti insertum celaverat aurum :

167 saecula tot referunt vivacem evolvere cervum.
 168 Leucadiae hunc olim gentes ceu numen agreste
 169 sacratumque tibi coluerunt, Cynthia virgo,
 170 Gallica quem fixit medicata cuspide cornus.
 171 Epiri postquam saltus atque omnia lustra
 172 excussere canes aditus reditusque ferarum,
 173 electi proceres repetunt cum regibus urbem.
 174 Et jam roriferos crines nigrante galero
 175 nox tecta obscuro terram involvebat amictu,
 176 jamque aderat volucer Lethaeo a flumine Somnus
 177 fessa soporiferis demulcens corpora lymphis,
 178 cum seram tandem Carlus per membra quietem
 179 accepit. Cari tum lapsa parentis imago
 180 de caelo visa est thalamoque effulsit ut astrum ;
 181 ambrosiumque torus fragrans spiravit odorem,
 182 qualis, odoratos adeat si vere Sabaeos
 183 sulcator rubri ponti spirantibus Austris,
 184 felicis silvae longe dispergitur aura.
 185 Nec mentem variis insomnia falsa figuris
 186 ludebant, sed coram oculos faciemque parentis
 187 spectabat vigil haec roseo sic ore loquentis :
 188 "O, mihi dilectos inter carissime natos,
 189 Carle, meus sanguis, superi qui dogmata Christi
 190 amplificas, magni cui paret machina mundi,
 191 Maumettique nefas labemque abolere Photini
 192 niteris et, quicquid Manichaeus et Arrius olim
 193 scripserit erroris, deles ultricibus armis !
 194 Jam nunc externis Aeneia regna tyrannis
 195 eripere et Latio crudelem exscindere gentem,
 196 Scandavios saevosque Gothos Scythiaeque colonos
 197 delere intendis dignosque assumere fasces
 198 Caesaris et victor remeare in regna paterna.
 199 Quo facere id melius totamque evincere molem
 200 instantem possis, quae dicam, mente teneto !
 201 Cum bis fraternis tenebrosum Cynthia cornu
 202 imbuerit radiis, signum cum Pisce relicto
 203 Phrixium auratis percurret Apollo quadrigis,
 204 Ausoniam tunc classe petes et litore Tusco,
 205 non procul Alpheas qua Pisas permeat Arnus,
 206 expones turmas. Tunc omnis Etruria contra
 207 Lombardos justo insurget flammata dolore,
 208 plurimaque Italiae tecum pars agmina junget.
 209 At sunt infernae sedes et Averno fragosis
 210 stagna prius visenda vadis Stygiique liquoris
 211 atra palus sulcanda tibi. Gyrosque per omnes
 212 inferni incolumem et per inhospita Tartara Ditis
 213 te summo delapsa polo Titania virgo
 214 ducet et Elysios campos Astraea docebit.
 215 Mox te gemmiferis pennis demissus ab astris
 216 suscipiet Seraphis, portam qui pandet Olympi.
 217 Alite quo vectus super ardua culmina caeli,
 218 quanta sit aeternae, spectabis, gloria gentis,
 219 aliferasque novem circum praetoria turmas
 220 meque iterum aspicias nostrosque ab origine reges."
 221 Haec ubi dicta dedit, tenues effugit in auras.
 222 At Carlus somno attonitus visisque paternis
 223 prosiluit strato secum divina revolvens
 224 siderei praecepta patris tantosque labores,

225 cui tantam belli molem sociosque relinquat.
 226 Jam Jovis aeterni natalis et annuus ortus
 227 venerat, horrifico saevit cum bruma Decembri,
 228 ante alias veneranda dies, nec cernere tristem
 229 fas quemquam. Exsultat tellus et pontus et astra,
 230 quod Deus humanos artus de virgine cretus
 231 induerit mortisque jugum infernique dolores
 232 solverit atque homini reserarit limina caeli.
 233 Francorum interea juvenes Argivaque pubes
 234 venerat ad ludos. Locus est celeberrimus urbis,
 235 quem nostri circum, Grai dixere theatrum,
 236 marmore quod Pario forma cinxere rotunda.
 237 Bis septem posuere gradus pannisque supernae
 238 liquerunt spatium, praetores unde solebant
 239 aedilesque simul ludos spectare curules.
 240 Inferior campus fuerat substratus arenis :
 241 illic Spartano celebrabant more palestram
 242 uncti oleo juvenes Danaei, nec turpe dabatur,
 243 quod permixta viris sine vestibus horrida Martis
 244 virgo exerceret populi spectante corona
 245 proelia. Perfecto victrix certamine primae
 246 ingenti applausu capiebat praemia sortis.
 247 At rex Justinus simul et Pipinius heros
 248 purpureis sedere toris atque aurea dona
 249 suspendunt, magnaue invitat voce Molossos
 250 Oebalius praeco, et vicinas missus ad urbes
 251 nuntius enarrat ludos et munera regum.
 252 Ac primum alipedum ponunt certamen equorum.
 253 Aurea victori cratera (hac Porus Hydaspis,
 254 dum venabatur, latices potare solebat)
 255 ponitur et Tyrrio bis tincta rubore secundo
 256 vestis, quam Phrygius Pythias contexuit auro.
 257 Omnibus et Syrius dabitur certantibus arcus.
 258 Aliferas primus Dolopum de gente quadrigas
 259 Hippopulus duxit, cujus feriebat Atenis
 260 terribilis saevis tenues hinnitibus auras.
 261 At Pyrrhus geminos lactenti corpore Cycnos
 262 ducebat - sic nomen equis - , quos concolor uno
 263 enixa est partu genetrix ad pabula Mobrae.
 264 Quin ferus Euthydamas Blemmeni lumine torvo
 265 ora reluctantis duris spumantia frenis
 266 vix poterat compescere equi ; celeremque Podarcem
 267 purpureis loris Siculus ductabat Himilco.
 268 Strenuus Asteropes Trojano e sanguine cretus
 269 post eversa solo perjurae moenia Trojae
 270 Hectoreos frenabat equos repetitaque longe
 271 Dardana fulmigerae portabat signa volucris.
 272 At niveis pedibus, nivea quoque fronte Toochem,
 273 Pollydamantis equum, ventos anteire ferebant.
 274 Quin bellatorem Albanus tentare Phonandrum
 275 non timuit ductor Graiosque lacessere ludos.
 276 Plurimaque obscurae venerunt nomina plebis,
 277 quae tenuis fama et sub noctem subruit aevum.
 278 Inde, ubi compositi spatioso in carcere currus
 279 audivere tubam, prorumpunt finibus omnes
 280 ingenti strepitu, colliduntque axibus axes,
 281 ultima vix celeri signant vestigia cornu.
 282 Non ita praecipites patefacto cardine montis

283 Aeolii erumpunt venti, cum turbine caelum
 284 aequoraque insanis agitant convulsa procellis !
 285 Et primum nudo velox volat orbita campo,
 286 mox urbem et circum lapidosi angusta theatri
 287 fertur, et horrendo silices stridore quadrigae
 288 concutiunt ; reboantque aedes vallesque propinquae ;
 289 scintillantque rotae, ceu candens forcipe ferrum
 290 Aetnaei vasta versent incude gigantes.
 291 Evolat ante alios volucris perniciosior Euro
 292 Trinacrius, gemini quem Cycni naribus afflant.
 293 Tertius indignans Cycnos jam calce Toochus
 294 urgebat, post hunc Blemmenus et ipse Phonander
 295 ambo una currus juncto temone trahebant.
 296 At formidando Mavortius ore Rinaldus
 297 increpat alipedem ; tum longo fuste volantis
 298 terga premit stimulisque acres irritat ad iras.
 299 Evolat, ut vocem domini sensisse putares,
 300 ocior excusso turbati fulmine caeli,
 301 Euthydamanta retro frustra clamore cientem
 302 Blemmenum linquit. Mox Pollydamanta feroci
 303 apprehendens morsu curru dejecit inani
 304 et volucris Cycnos saltu post terga relinquens
 305 Agrigentinum premit assequiturque Podarcem.
 306 Quod nisi currentem Automedon auriga quadrigam
 307 flexisset laeva interius metamque petisset
 308 Trinacrius, vel si spatium tunc longius esset,
 309 Albanus primae meruisset praemia laudis.
 310 Tres postquam primi cinxerunt tempora palmis
 311 optatae et meritos ceperunt sortis honores,
 312 protinus invitat, pugiles unctamque palaestram
 313 qui certare velint nudamque lacescere pugnam,
 314 Taltibrius tubicen ponitque argentea dona.
 315 Nec mora, prosiluit compacto corpore Lacon
 316 in medium Alcidas, mox Larissaeus Amyntas ;
 317 Aetolusque Cyclops, horrenda mole superbus,
 318 Gallorum irritat proceres ac nudus arenis
 319 consistens magnos villosi corporis artus
 320 ostentat monstransque artem diverberat auras.
 321 Nec quisquam tanto Graiorum ex agmine contra
 322 audet adire virum, nam dextra suetus inermi
 323 cornibus apprensos tellure illidere tauros.
 324 Ut vidit regem, ut Gallos Amonius heros
 325 secum indignantes, immani concitus ira
 326 exsiluit curru projectisque impiger armis
 327 invadit nudis vastum Cyclopa lacertis.
 328 Nia terribilis contundit anhelata gigantis,
 329 saucia quin jacto saltans ferit inguina calce.
 330 At contra Aetolus dextram rotat, insuper urget
 331 nequicquam prensare volens fugientia membra.
 332 Instat atrox Calydon dextra vultuque feroci
 333 territat incassum minitans : nam grandinis instar
 334 Gallus utraque manu pulsatque abigitque minantem.
 335 Mox pronus strictis devincit crura lacertis
 336 connixusque humeris sublatum illidit arenis.
 337 Parte alia Lacon et Larissaeus Amyntas
 338 horrida fulmineis miscebant proelia pugnibus.
 339 Tunc facies tumidas manantiaque ora cruore
 340 cernereque ejectos licuit cum sanguine dentes ;

341 bracchiaque annixi concussis viribus ambo
 342 luctantur. Geminos Tuscis in montibus ursos
 343 concurrisset putes, stimulat cum dira libido.
 344 Ambo cadunt pariter nexi, multumque diuque
 345 seu duo cristati longo in luctamine Galli
 346 stant procul et lassii torvo se lumine cernunt.
 347 At rex Francorum jussit certamina tolli
 348 collaudansque ambos simili donavit honore.
 349 Nunc fera terribilis proponit proelia Martis,
 350 qui certare velint non jactis eminus hastis
 351 parcentes gladiis, sed acuta cuspide longae
 352 innixi pinus galeas clipeosque ferire.
 353 Praemia ponuntur victoribus aurea cassis
 354 nodorumque rigens triplici lorica catena,
 355 quam quondam in bello gestaret Thracius Alcon,
 356 ponitur et spolium Armeniae de rege Thoante
 357 ensis et insignis rutilo vagina pyropo.
 358 Haec dona in summo pendebant fixa theatro.
 359 Continuo horrisono tonuit clangore tubarum
 360 Circus, et in campum phaleratum proruit agmen.
 361 Thessalus Aeacidum stirpem mentitus Achilles
 362 sculpserat Oceanum in clipeo nymphasque sorores
 363 caeruleosque toros Thetidis juxtaque cubantem
 364 Pelea et infantem, Stygiis quem mater in undis
 365 tingebat, quin Philyridem caelarat et arma
 366 Vulcani caedesque Phrygum Trojaeque ruinam,
 367 Hermacreontis opus. Quem mox Phocensis Hiantes
 368 subsequitur. Post hunc niveo praevectus olore
 369 ingreditur campum Pelopis de gente Pylemon.
 370 Affuit Alcides Pallena ex urbe profectus
 371 nequicquam Herculeo tumefactus nomine et armis ;
 372 nec te praeteream, procerum memorande Cleone,
 373 quem centum electi juvenes fulgentibus hastis
 374 stipabant pariter Tyriis in vestibus omnes.
 375 Euhius haud aliter Satyrum comitante triumpho
 376 intrat Agenoreos frenata tigride muros.
 377 Ipse quoque Asteropes, Trojanae stirpis alumnus,
 378 curriculo quamvis primo non victor abisset,
 379 attamen Odrysium voluit tentare furorem,
 380 ut probet Hectoream manifesto robore prolem.
 381 Parte alia proceres feralia proelia Galli
 382 pertentant. Populusque omnis secedit arena
 383 et linquit purum solis certantibus aequor.
 384 Undique belligeris lituum clangoribus aether
 385 personat, accendunt horrentia classica mentes.
 386 Ac primum Asteropes ab equo dejecit Alardum,
 387 quam longa hasta fuit, ceciditque Britannicus Astur
 388 Arcados incursu Alcidae, Ganusque Cleoni
 389 Thebani ingenti resupinus concidit ictu
 390 et pariter fractos vomuit cum sanguine dentes.
 391 Hinc et Tantaleus magno stridore Pylemon,
 392 hinc Claron querna incurrit Mavortius hasta.
 393 Sed Graii tantum confracta Pylaemonis ornus
 394 non potuit Gallum ferrata excludere sella.
 395 Illum autem Claron dejectum stravit arena.
 396 At non Asteropes casu concussus amici
 397 alipedis fodiens aeratis calcibus armos
 398 Claronem invadit frustraue umbonis aeni

399 fraxineo septem quatit aerea tegmina trunco.
 400 Sanguine Peliaco tumidus Peneius heros
 401 Bucephali dorso vectus prorumpit in agmen
 402 et primum sorte Orlando concurrit iniqua.
 403 Nec taurinus equus valuit nec ferreus umbo
 404 sufferre ingentes fatalis cuspidis ictus.
 405 Fulminis in morem longe est excussus Achilles,
 406 prostratus crepuit sonipes, prostratus eadem
 407 corruit Alcides quercu. Rursusque Pylaemon
 408 consertis ausus concurrere cominus hastis
 409 concidit infelix Orlandi viribus impar.
 410 Disrupto cecidit clipeo moribundus Hiantes.
 411 Ipse etiam multos Thebanus straverat heros,
 412 ut soli ex numero restarent quattuor omni
 413 in circo heroes : Orlandus et ipse Cleonus,
 414 Asteropes Claronque, duces. Tria munera tantum
 415 exstabant. Iterum infestis concurrere telis
 416 jusserunt reges, tribuat cui praemia virtus
 417 tertia. Confestim Claron et Dardanus una
 418 concurrit princeps, abeunt in nubila frustra
 419 hastarum, reboant percussa fragoribus astra.
 420 Haesit uterque tamen sellis ceu fixus in uncis,
 421 concussisque alias fregere umbonibus hastas.
 422 At Milone satus nodoso robore nixus
 423 Thebanum aggreditur, fulvaque extendit arena.
 424 Jure igitur primae dant omnes praemia palmae
 425 Orlando ; paribus Claron et Troius heros
 426 ornantur donis, circumque theatra feruntur.
 427 Et jam perfectis ludis nox roscida surgens
 428 Oceano terram piceo involvebat amictu
 429 somnifugas fesso componens pectore curas.
 430 Omniaque in terris animantia somnus habebat,
 431 solus magnanimi Carlus praecepta parentis
 432 volvit et insomni percurrit mente paludes
 433 Tartareas versatque animo Plutonia regna,
 434 purgatique animi claris virtutibus astra
 435 ut petat. Absterrent nimbose cacumina caeli,
 436 ne gravis aligeram terrestri carcere mentem
 437 sarcina conturbet Stygiis neu mergat in undis.
 438 Talia versanti de caelo flamma reluxit.
 439 Ecce iterum Pipinus adest natumque morantem
 440 hortatur monstratque viam : nihil esse volenti
 441 difficile, et, quamvis sit primum asperrima virtus,
 442 paulatim mollescit iter, salebraeque recedunt.
 443 "Surge, age ! Labuntur fugitivae tempora vitae.
 444 Libera dum meritis operetur, nate, voluntas,
 445 non exspectatae confringunt stamina Parcae
 446 persaepe, et medio cursu intercepta morantem
 447 spes hominem fallit." Nec plura locutus in auras
 448 discessit tenues. Nec segnis Belgicus heros
 449 surgit et Orlando exponit praecepta parentis.
 450 Discessumque suum, donec caelestia regna
 451 visitet, occultet, turmas et castra tuatur,
 452 nec procul a signis miles vagus erret et arma
 453 expediat navesque paret, mora ne qua reversum
 454 tardet, et instructis discedat vere carinis.
 455 Haec ait et subito corpus fulgentibus armis
 456 cinxit et Orlando, sociis atque urbe relicta

457 concubia nocte Epiri per devia fertur.
 458 Ingens silva fuit densisque horrenda tenebris ;
 459 vix ipsis adeunda feris Stygioque dicata
 460 Plutoni et multis quondam memorabilis oris.
 461 Ut perhibent Grai, post aurea saecula regis
 462 falciferi in pejus rueret cum decolor orbis,
 463 improba caelestum mundum discordia fratrum
 464 divisit. Dominis jam tunc contenta duobus
 465 regia nulla fuit. Neptuno contigit aequor,
 466 astra Jovi et sceptri cecidit sors prima superni,
 467 ultima Plutoni tribuit lacrimabile regnum
 468 inferiore plaga mundi centroque sub imo.
 469 In medio silvae quondam Saturnia proles
 470 foedera percussit Parioque in marmore leges
 471 perpetuas sculpsit ; summoque in vertice montis
 472 Titani fratres triplicis struxere Chimaerae
 473 suffultum Libycis templum admirabile saxis,
 474 relligione patrum priscis venerabile saeclis.
 475 Quicumque intraret Dictaei numinis aedem
 476 vel temere, horrendas lueret cum sanguine poenas
 477 ante sacros tamquam jugulatus victima postes.
 478 Pro foribus stabant curvi divosque trifformes
 479 orabant populi in dubiis responsa petentes.
 480 Sed cecidisse ferunt ut cuncta oracula divum,
 481 sidereum cum virgo Deum sine sanguine cretum
 482 humano peperit. Nunc aspris obsita dumis,
 483 si qua manent, longum vestigia substulit aevum.
 484 Nec procul hinc Graio cognomine tristis Aornos
 485 exhalat diram horrendo foetore mephitim.
 486 Proxima pestiferis Acherusia prosilit undis,
 487 quae Stygias intrat valles nigramque paludem
 488 auget et infernas non uno gurgite sedes
 489 circinat et caelum nebuloso sulfure laedit.
 490 Dum rex obscurae dumosa cubilia silvae
 491 lustrat inops animi tenebras noctisque locique
 492 explorat gladio virgulta morantia frangens,
 493 ignarus, dextramne petat levamne capessat,
 494 haeret et aspectans silvam vestigia firmat,
 495 ecce inter tenebras effulxit lyncis imago.
 496 Jucunda aspectu primo facieque decora
 497 fingit adulando cauda mollissima terga ;
 498 blanditurque duci exsultans sensumque labantem
 499 illecebris captat praecordiaque intima reptat.
 500 Jam stupet attonitus formosae tegmine lyncis
 501 immemor incepti cursus jussique paterni.
 502 Arboris ut Cypriae densa resideret in umbra,
 503 ecce leo ante oculos immani vastus hiatu
 504 constitit et saevis implet rugitibus auras
 505 Tartareae silvae ; timuitque in faucibus Orci
 506 Cerberus et Stygiae sulcator pallidus undae.
 507 At lupa post tergum rictu macilenta rapaci
 508 saepius audita est nigras ululare per umbras,
 509 ut quondam stimulante fame catulisque relictis
 510 Hercyniae lucos egressa in pascua fertur
 511 lanigerum raptura pecus, manditque trahitque
 512 imbelles pecudes, nondum satiata cruore.
 513 Martius at ductor, quamvis fatalibus armis
 514 tectus erat, timuit tamen et conterritus ensem

515 fulgentem eduxit frustraue immania monstra
 516 aggreditur. Vanæ deceptus imagine formæ
 517 nequicquam tenues gladio diverberat auras.
 518 Ceu qui per somnum venientes viderit hostes,
 519 protinus exclamat pugnamque lacessit inanem,
 520 haud aliter Carlus circum fera monstra vagatur,
 521 incertusque animi nunc huc, nunc fluctuat illuc,
 522 cum circumfusus prorupit ab aethere fulgor
 523 discissumque supra caelum resonantibus alis
 524 intonuit. Tum lapsa polo Titania virgo
 525 nuda pedes, niveo circumdata pectora velo
 526 ignea ceu lampas praestrinxit lumina Carli,
 527 majestasque in fronte sedet, mitemque rigorem
 528 sidera bina vomunt mixta gravitate nitori.
 529 Apprensaque ducis dextra, "Depone timorem,
 530 et magno", dixit, "valletur robore pectus.
 531 Me duce sulcabis calidas Phlegethontidis undas
 532 tutus et inferni lustrabis opaca barathri.
 533 Te licet infestet rapidarum turba ferarum
 534 impediaturque iter et mortem portenta minentur,
 535 ne tamen absistas nec retro lumina flectas."
 536 Dixit et antetulit gressum silvaeque profundae
 537 jam medium carpebat iter ; nec segnius ipse
 538 ductricem aequabat vadens saevumque leonem
 539 instantemque lupam nequicquam verberat ense.
 540 Saepe Cilissa suum maculoso belua dorso
 541 inceptum turbabat iter, ni virgo morantem
 542 traxisset dextra et dictis monuisset amaris :
 543 "Sic cessas, dum tempus habes ! Properemus ad undas
 544 Tartareas tristesque lacus Acherontis avari."
 545 His ille increpatus luci per devia pernix
 546 Astraeam sequitur. Sed longe e rupe sonora
 547 fluminis auditur per saxa sonantia murmur,
 548 qualis in ingressu Deltae de vertice celso
 549 ingenti sonitu caelestis labitur amnis.
 550 "Quis fragor, o virgo, nostras pervenit ad aures ?"
 551 Carlus ait, "Quis taeter odor ? Cur turbidus aer ? "
 552 "Incipit horrendum hic caput implacabilis Orci,
 553 ostiaque inferni Ditis", Titania, "cernes."
 554 Jamque propinquabant fluvio, cum rupibus altis
 555 aspexit Carlus piceos erumpere fontes ;
 556 et velut Aegaeis sparguntur Cyclades undis,
 557 Tartara sic actis caenosus cursibus ambit
 558 gurges, et una ratis casuris sufficit umbris.
 559 Illic innumerae cunctis e partibus orbis
 560 errabant animae tristes fluviumque petebant
 561 suppliciumque suum. Christi sic summa potestas
 562 exigit, ut meritis plectantur crimina poenis.
 563 Non tot in occiduo volvuntur litore fluctus,
 564 cum premit Herculeas Doris violenta columnas,
 565 ardua dum spumat roranti aspergine Calpe,
 566 nec metit in Libycis campis tot Poenus aristas,
 567 agmine quot magno labuntur ab aethere cassae
 568 corporibus lucumque vagae litusque pererrant.
 569 Stabat terribilis nigranti in puppe biremis
 570 portitor, ad pectus cui cana incultaque barba
 571 prominet, et nigros humeros erepta draconi
 572 pellis obit pectusque tegit, sed cetera nudus.

573 Luminaque in torva flammis imitantia fronte
 574 terrorem incutiunt, et dentes fulminis instar
 575 os utrimque armant. Urgetque morantia conto
 576 agmina, dum pleno transmigrant litora lembo.
 577 Utque pedum sensit strepitus, utque arma per umbras
 578 vidit et ingentem properare ad flumina regem,
 579 protinus exclamat : "Non hic patet exitus ulli
 580 spiranti ! Solas animas ad Tartara vecto !
 581 Cuique intrare licet - foribus stat semper apertis
 582 janua -, sed pigras nulli remeare paludes
 583 concessum est ; nam fata vetant et Jupiter obstat."
 584 Inde umbris foetam cymbam detrusit in aequor
 585 obnixus conto ; tum vela nigerrima pandit.
 586 "Verte ratem", virgo, "retroque relabere", dixit,
 587 "portitor ! Imperio Jovis huc Pipinius heros
 588 ante diem extremum manes descendit ad imos.
 589 Et me demissam caelo comitemque ducemque
 590 praefecit regi, donec lustraverit omnes
 591 Tartareae vallis sedes lucumque piorum."
 592 Nec mora, dejectis umbris ad litora proram
 593 vertit et ensiferam cum rege accepit in alvo ;
 594 mox ferrugineo stridentem fuste phaselum
 595 dispulit. Illa volat Stygias secura per undas.
 596 Quamvis jam senio putris sub pondere cymba
 597 insolito gemeret rimisque fatisceret alvus,
 598 atra tamen novies tranavit stagna paludis ;
 599 limosum intravit portum irremeabilis Orci
 600 caenosaque ambos Charon exponit in ulva.

VI

C_6 v.1 Ut stetit ante fores Carlus lacrimabilis aulae,
 2 quam septem aeratis circumdant moenia saxi
 3 - et geminae introitus cingunt latera ardua turre - ,
 4 legit in adverso ferratae limine portae
 5 horrida Dictaei pavitans edicta tyranni :
 6 "Tartaream hac itur tenebrosi Ditis ad urbem ;
 7 hac ad perpetuos itur sine fine dolores.
 8 Ne reditum hinc speres, qui limina nostra subisti.
 9 Me nihil ante fuit, lector, mortale creatum.
 10 Sic lex inferni aeternum durabit in aevum."
 11 At virgo, ut vidit pavitantem ac dira trementem
 12 supplicia ante fores tremulis insistere plantis,
 13 "Dux invicte", inquit, "quae tanti causa timoris ?
 14 Descendis Christo manes auctore sub imos,
 15 ut videas, quantis damnentur crimina poenis.
 16 Ceu solet immundo radios defigere caeno
 17 nec trahit infectos sursum Phoebia lampas,
 18 sic tibi non oberit barathri sentina profundi."
 19 Nec plura, horridae patefecit robora portae.
 20 Quo sonitu custos super ossa semesa recumbens
 21 protinus exsiliit latrantia guttura pandens,

22 ut voret intrantes vastaue ingurgitet alvo.
 23 At virgo : "Injectis subito clamantia vinclis
 24 viperei compesce", inquit, "canis ora ! Quid heres,
 25 Francorum ductor ? Validas innecte catenas !"
 26 Nec mora, protractum vinclis ac dira frementem
 27 aerato ingentis religavit in orbe columnae,
 28 ut quondam Alcides per vim subtraxit amicum
 29 invito rege inferni et custode ligato,
 30 unde tuos iterum timuit, Proserpina, raptus
 31 Tartareus Pluto, ne conjuge regnet adempta.
 32 Post ambo celeres portam exsecrabilis aulae
 33 confusamque urbem subeunt maerore gementum
 34 ancipitesque vias Ditis callesque pererrant
 35 tectorum angustos et caeca nocte feruntur
 36 per loca luctiferae graviter spirantia nubis,
 37 haud secus, ambages et subterranea tecta
 38 Niliacae molis siquis sine lumine lustret
 39 implicitosque dolos nemoris silvaeque palustris.
 40 Inde ubi maerentes aditus sedesque malignas
 41 intrarunt ambo, diras sensere catenas
 42 horriferosque sonos et verbera saeva dolentum.
 43 "Inspice", virgo inquit, "piceas ubi densior auras
 44 caligo obscurat, nigro squalentia fumo
 45 atria Dictaei regis torvumque tribunal.
 46 Circuit haec rapidus torrens fumantibus undis,
 47 quem ligat annoso sine ramis robore quercus,
 48 angustos aditus miseris ut praebeat umbris.
 49 Tu tamen intrepide sequere et vestigia firma,
 50 ne pes labatur turpi per levia musco."
 51 Portam observabat dira feritate satelles
 52 vipereus ; rabiesque truci manabat ab ore ;
 53 ingentem falcem et telum quatiebat acutum,
 54 quo miseris animas figit postesque tuetur.
 55 Ut vidit Carlum, subito furialibus iris
 56 janitor exarsit stricto mucrone minatus
 57 exitium. Sed docta comes "Procul esto, profane ! "
 58 Clamavit rabiemque feri compescuit ense.
 59 Marmore terribilis iudex Rhadamanthus in atro
 60 jura dabat residens umbris ; fraterque severus
 61 juxta assistebat nigranti tergore barri
 62 implicitus Minos sceleratae crimina culpae
 63 inquirens cogensque animas peccata fateri.
 64 Parte sedens alia non exorabilis Orci
 65 torva fronte Cato reddebat jura Latinis.
 66 Stabant squalentes demissa in pectora barba
 67 iudicium subiturae animae saevumque tribunal
 68 maestae aspectabant ; vultuque horrente Megaera
 69 frendebat virides irritans unguibus angues ;
 70 Thisiphoneque adstans multo serpente revincta
 71 et quatit horrisono immanes stridore catenas ;
 72 infernique volant circum praetoria regis
 73 Harpyiae et maestos fletus pro vocibus edunt ;
 74 feralisque ululat bubo, gemit improba cornix
 75 et strix informis pastusque cadavere vultur.
 76 "Arripite", exclamat violenta concitus ira,
 77 "hunc," Minos, "legem sic nam despexit Averni."
 78 Nec mora, mille enses et mille sonantia tela
 79 explicuit rabiosa cohors. Tum mille dracones

80 horrida tergeminis vibrarunt sibila linguis.
81 Quod nisi Tartareis virgo Titania monstris
82 occlusisset iter spumantiaque ora colubrum
83 fregisset gladio, numquam remeasset ad astra
84 Carlus et Oeclide prope busta miserrima vatis
85 aeternum infelix tristi jacuisset in urbe.
86 "Ite procul, nequam", exclamat, "procul ite, phalanges ! "
87 Titanis, "cohibe, Alecto scelerata, furorem !
88 Huc Jovis imperio superis descendit ab oris
89 impia visurus tenebrosi Tartara centri
90 Francorum princeps. Ne quaeras plura doceri !"
91 Invitusque minas posuit Rhadamanthus, et horror
92 concidit. Hinc linquunt Dictaei tecta tyranni
93 Carlus et Astrea et porta egrediuntur Acota. (??)
94 Illinc a laeva salebris et sentibus asprum
95 monstrat iter vastum callis declivis in antrum.
96 Aspis et alatus jaculus viridisque chelydrus
97 rectus et incedens flammanti regulus ore,
98 multiplicique errat cornu metuenda cerastes.
99 Haud aliter, siquis Libyes deserta peragret
100 arvaque Carmaniae numquam privata venenis.
101 Cuspide sed virgo discussis praevia dumis
102 securum praebat iter caecasque latebras
103 dissolvit. Primi sic ventum ad limina gyri est.
104 Concava vallis erat, quam rupes undique cingunt
105 praeruptae, nullaeque virent in vertice silvae.
106 Aeterna squalent nuda caligine cautes.
107 Quam secat accenso nebulosus sulphure torrens,
108 semper et infectum turbat gravis aera fumus.
109 Illic perpetuus rapidis fornacibus ignis
110 excoquit immersas animas. It stridor ad auras
111 tostorum, mugit flammis crepitantibus aether
112 obscurus, redditque atrox suspiria vallis.
113 Ut Carlum vidit miserantem et saepe querentem
114 tam miseram sortem, "Quae te", Titania dixit,
115 "Rex, pietas frustra cepit ? Spes nulla peremptis.
116 Impia perpetuis cruciantur crimina poenis.
117 Hi sunt, qui Veneris flagrante libidine leges
118 spreverunt turpi foedantes crimine vitam
119 nec Veneri posuere modum illicitosque hymenaeos
120 miscentes more ac ritu vivere ferarum.
121 Defige in tenebris oculos, ubi torridus amnis
122 aestuat, aspicias ceu ranas ore loquaci
123 exstantes undis raucas iterare querelas,
124 sic miseris animas torreri in flumine summo.
125 Quem procul ardenti cernis fornace cremari,
126 ultimus Assyriae coepit rex sceptrum Tonoscon.
127 Quam laniat torvus candenti forcipe daemon
128 ignitoque femur repetit trans viscera ferro,
129 Belidae conjunx Nini fuit : haec sibi natum
130 illicito amplexu junxit multosque necavit,
131 obscaenum postquam petulans exstinxerat ignem.
132 Quae gerit aspidea maculatam cuspide mammam
133 candida deturpans liventi membra veneno,
134 implicuit quantis bellis regina Quirites !
135 Cognatae strepuere tubae civilibus armis,
136 Actiacus rubuit cognato sanguine pontus.
137 Uritur aeterno petulans Antonius igne.

138 Aspice, quae contra ignita est religata columnae,
 139 cujus adhuc niveo rutilans e corpore fulgor
 140 exit, et ante alias umbras formosa videtur :
 141 Europamque Asiamque evertit Marte cruento.
 142 Cerne Parim accenso frustra motare camino.
 143 Nec procul in flammis natum armipotentis Achillis
 144 Neoptoleum Hermionemque simul ; corpusque biforme
 145 nubigenae, cujus pendet letalis arundo
 146 pectore semiferi nondum siccata cruore.
 147 Cerne ducem Assyriae piceo sub gurgite mergi
 148 saepius invitum, castris quem virgo sub altis
 149 stravit et exemit cives hostilibus armis.
 150 Qui calidum niveis tranat Phlegethonta lacertis,
 151 ah, quotiens caecis turbatum noctibus aequor,
 152 dum te, Sesta, petit, delphini more Leander
 153 sulcavit ; nunc ambo natant ferventibus undis.
 154 Sed longe ante alias cruciatur Caesaris uxor
 155 Messalina pice ardenti. Sempronia juxta
 156 uritur et mutat nequicquam membra perusta.
 157 Invitoque viro quondam damnata Galicta
 158 sulphureo poenas graviores sustinet antro,
 159 fulviaque horrendas ferventi in flumine poenas
 160 solvit et aeternum conjux scelerata Salassi
 161 Septimiique uxor, quis nil natura creavit
 162 improbius, junctaeque ambae cruciantur in igne.
 163 Hippia, moechorum notissima fabula Romae,
 164 uritur ignivomo ad mentum detrusa sepulchro.
 165 Perfidiae luxusque simul scelerata Tomilda
 166 dat poenas pulchrumque dolet vidisse Cacanum.
 167 Improbisque Augusti neptis genetrixque proterva
 168 infandique parens simul Agrippina Neronis,
 169 Caligulaeque illic coquitur Caesonia conjux.
 170 Pessima sulfureis ardet Melantia flammis."
 171 "Quis globus ille", inquit Carlus, "caligine nigra
 172 volvitur umbrarum ? Dic, oro, et nomina pande.
 173 Cur nulla illarum in flammis apparet imago,
 174 sed tantum luctus tostorum auditur et horror ?"
 175 "Illae omnes ausere nefas", Titania dixit,
 176 "Aeolis haec fratrem, dilexit Myrrha parentem,
 177 germanumque suum cognovit Clodia moechum.
 178 Hoc scelus horrendum tenebroso exuritur igne.
 179 Impia perpetua damnavit crimina nocte
 180 dux Erebi fumoque animas contexit amaro.
 181 Ast hujus vallis fundo torquentur in imo,
 182 qui turpi molles stuprarunt arte cinaedos.
 183 Ne quaeras, poenis quantis peccata luantur :
 184 improbus hos caeno mersit Rhadamanthus in atro
 185 sulfureumque amnem supra ferventibus undis
 186 induxit. Quisquam si forte emergere tentat
 187 combustumque caput fumanti substulit aestu,
 188 adsunt Tartarei volucres uncosque tremendos
 189 injiciunt lacerantque artus truduntque sub undas.
 190 Haud aliter falco volucrem si forte natantem
 191 viderit, ingenti delapsus ab aethere motu
 192 in pavidam fertur cogitque in flumine mergi.
 193 Aspice, qui fluctu canos attolere tentat :
 194 hic Galba est princeps. Nivei cerne ora Cerinthis
 195 et scortum Idaei Sigeo e litore raptum

196 regis. Et intonsus Cinix - infamia Poeni
197 ille erat Hannibalis -, longe nec Hamilcaris umbra
198 Barcini picis ardentis cruciatur in olla.
199 Sporus et Antinous, Romani principis uxor,
200 sub faece sulfurea tosti sine fine cremantur.
201 Sed jam fata vocant alios inquirere gyros.
202 Linqnamus miseros humani seminis hostes,
203 quos neque Tartareae possunt tolerare sorores."
204 Haec dicens virgo fauces deflectit ad artas
205 exustae vallis : squalent nigrantia saxa ;
206 non arbor, non herba virens, magnoque fragore
207 hanc dirimit rapidus spumanti gurgite torrens.
208 Pons ibi sublicius longo marcebat ab aevo,
209 erumpunt nigra ardentis de caute liquores,
210 torridus unde caput sumit Phlegethontius amnis.
211 Huc ambo postquam fluvio venere relicto,
212 aspra salebrosi petiere cacumina collis.
213 Nec procul in morem curvi tenebrosa theatri
214 planities jacet, et densis circum horrida dumis
215 silva viret, servatque aditus basiliscus et hydrus ;
216 plenaque regifero torquent convivium luxu.
217 Umbrarum esuriens agmen ; spumatque Falerno
218 crystallus ; siccisque quatit sitis aspera fauces.
219 "Rumpe moras", Titanis ait, "gyrumque secundum
220 lustremus, si quas umbras agnoscere possis.
221 Haec est, quae lautis dapibus patrimonia molli
222 ampla ligurivit luxu, gens dedita ventri.
223 Tartarei prohibent plenas attingere mensas
224 carnifices, condunt quin saepe in viscera ferrum
225 gutturaque extendunt ferventibus arida lymphis."
226 "Dic mihi", Carulus ait, "qui sunt, Astrea, lebetes,
227 quos cerno subter virgis crepitare sonoris ?
228 Palladione dapes umbris assantur olivo ?"
229 Subrisit virgo : "Quae nubes lumina texit ?
230 Non hae corpus habent, sed justae numinis irae
231 diversis plectunt contraria crimina poenis :
232 quem totiens mergi ferventi cernis aeno
233 et vomere ignitos biberat quos ore liquores,
234 Bebrico in campo victor successit Othoni.
235 Cujus fossa vides candenti viscera ferro
236 torreri ad prunas lentoque exurier igne,
237 Hunc peperit primo felix Drusilla marito,
238 Augusti conjunx. Sed vincit Apicius omnes,
239 cujus adhuc comenta gulae parvumque volumen
240 exquisita modis condiri fercula miris
241 edocet. At postquam consumpserat omnia venter,
242 letifero potu vitam exhalavit egentem.
243 Hunc juxta prisca saetosus origine Thare,
244 qui regnum fratri parva pro lente paternum
245 vendidit, esuriens rapido cruciatur in igne.
246 Non est poena minor vetiti praesentia pomi :
247 semper enim aspiciunt, quae numquam attingere possunt."
248 Consumptis quidam membris nervisque peresis
249 substulit ardenti sic clamans ora lebete :
250 "Cur umquam Memphim stagnantiaque ostia Nili
251 deserui allectus diri conviva Neronis ?
252 Mansissemque utinam pauper sine principe tonsor !"
253 Plura locuturum daemon submersit in aestu.

254 Quas miser accensa dabat Heliogabalus arca
 255 inclusus pennas trajectusque inguina ferro !
 256 Vidit ut in tenebris figentem lumina Carlum,
 257 "Quid miraris ?" ait Titanis, "Desere vallem,
 258 quam Deus aeterna merito caligine texit !
 259 Rumpe moras, celeres currunt non segniter horae,
 260 et tibi dumosae scrupulosa per avia silvae
 261 grande iter incumbit salebris et sentibus artum.
 262 Me sequere ! " Haec dicens exusta cacumina rupis
 263 transit et ignoti fertur per devia callis.
 264 Est locus inferni glaciale expositus ad Arcton,
 265 aeternisque riget vallis concreta pruinis,
 266 perpetuo quales Rhipaei frigore montes
 267 torpescunt ; nix alta riget glaciesque perennis.
 268 Tristia producunt turpes absinthia campi,
 269 plenaque Cerbereis illic sunt arva cicutis.
 270 Plurima letiferam taxus non frondibus umbram
 271 efficit, ac tantum ramis et stipite denso
 272 frigentes obscurat agros lucemque malignam
 273 praebet, uti pronus cum gurgite Phoebus Iberi
 274 flammiferos currus mersit venientibus umbris.
 275 Horrida concreto squalibat frigore tellus,
 276 per mediumque piger caeno vix labitur amnis
 277 algidus et stagni in morem mutarat amaras
 278 in glaciem mixtaque aloe vitiaverat undas.
 279 "Hic scelus invidiae luitur." Titania dixit,
 280 "Aspice liventes animas glacieque ligatas,
 281 dentibus incussis algore trementia membra
 282 ut vibrent tremuloque edant suspiria luctu.
 283 O justis vindicta Dei ! Cinxere colubri
 284 nexibus argentes animas linguisque trisulcis
 285 terrificant laniantque artus fecundaque membra
 286 insuper excruciant efflantes ore venena.
 287 Quem tu strumosum pedibus incedere claudis
 288 aspicias, ille fuit magni detractor Achillis
 289 Thersites. Simili damnatus crimine Dranges
 290 horret in argenti glacie, nec vipera cessat
 291 faucibus evulsas utrique arrodere linguas.
 292 Quae passim in gelidis silvis canisque pruinis
 293 stat tremebunda cohors, omnes de pube fuerunt
 294 Graiorum : gentis vitium commune Pelasgae.
 295 Horret et in medio pallens algore Nicanor.
 296 Siste parum ! " Titanis ait, "Te spectat euntem,
 297 qui sedet a laeva ; ut reor, est Sidonius Hanno.
 298 Hic Hanno est, cui si voluissent credere Poeni,
 299 foedera per summum totiens jurata Tonantem
 300 servassent Teucris, et tu, Carthago, maneres
 301 incolumis." "Cur has meruisti solvere poenas ?
 302 Quis te livor edax tristes detrusit in oras ?"
 303 Sic rex. Sic Poenus vix surgens talia reddit :
 304 "Qua lege infernas spirans accesseris umbras ?
 305 Quis monstravit iter ? Quae te clementia divum
 306 incolumem ducat per inhospita tecta tyranni
 307 Tartarei, et tristem livoris visere campum
 308 sustineas ? Licet ignorem nollemque videre
 309 felicem hic quemquam, tibi non responsa negabo.
 310 Cum Trebiam et saltus Cortonae Punicus ensis
 311 vastaret, madidae Latio cum sanguine Cannae

312 undarent possetque capi Romana propago,
313 si bellatori populus Tyriusque senatus
314 concessisset opem, stimulis agitatus iniquis
315 invidiae suasi servari foedera Teucris,
316 dedendum Hannibalem ; victoribus arma negavi
317 mittenda ; et quoniam poterat Barcinia secta
318 non secus excindi, patriae livore ruinam
319 construxi." Haec dicens depresso obmutuit ore.
320 Protinus inde abeunt celeres Hannone relicto.
321 Interea multos cernunt in vallibus imis
322 obliquis oculis gelidis algere pruinis.
323 Stabat pube tenus concreto in flumine virgo,
324 rodebatque ferox exstantia pectora serpens.
325 "Haec Agloe," Titanis ait, "dat improba poenas
326 invidiae. Non est capitalior altera pestis,
327 livoris sed poena comes." Nec plura locuta est.
328 Vix poterat Carlus glaciale ferre rigorem,
329 quippe illi stabant concreto in vertice crines,
330 paenulaque algebat stridentibus horrida crustis.
331 Inde per anfractus vallis, per devia saxa
332 accelerant ambo, campum fluviumque relinquunt
333 invidiae et fessi celso super aggere fossae
334 consistunt. Frustra latam tranare paludem
335 nituntur. Pons nullus erat nec caerula puppis.
336 Dum sic ambigui resident in margine fontis,
337 ecce, inter densas magno stridore tenebras
338 Tartareus daemon ferro non segnis adunco
339 scindebat taetrum squalentibus aera pennis,
340 ut capiat laceretque ambos. Sed voce sonora,
341 "Aethereo detruse polo Christique rebellis,
342 comprime", clamavit, "violenti pectoris iram",
343 Astraea, "et curvam jam nunc depone bipennem !"
344 Subdereque invitum nigrantia terga coegit.
345 Primaque terribiles humeros Titania virgo
346 Tartarei volucris prostravit et ora rudentis
347 horrida, ne noceat, validis compressit habenis.
348 Tergemini rictu exstabant ceu fulmina dentes,
349 horrebantque instar telorum in corpore pennae
350 sanguineae, torvo ardebant in vertice flammae.
351 Hoc postquam ascendit monstrum Pipinius heros,
352 virginis apprehendit fidos Titanidos armos.
353 Tunc per inane volans non parvo pondere pressum
354 scindebat Stygias magnis stridoribus auras.
355 Ah, quotiens ambos concusso extrudere dorso
356 tentavit medioque freto fumantis Averni
357 dejicere et versae peracuta cuspide caudae
358 nequicquam squamas thoracis fixit aenas !
359 Vix tandem incolumes extremam in litoris oram
360 ejecit dixitque abiens velocius Euris :
361 "Jam spes nulla fugae est ! Nulla hinc exire potestas !"
362 "Ne dubites", inquit virgo, "depone timorem.
363 Evades tutus, porta egredieris eburna.
364 Hac nostrum vertamus iter silvamque petamus
365 spiniferam et duri salebrosa cacumina montis.
366 Hic, hic aspicias saevos in frusta tyrannos
367 concidi, et rabidas cernes discurrere tigres
368 infernasque canes laniare trementia membra.
369 Oricacum Grai dixere hunc nomine collum,

370 aeterno quoniam reboat clamore malorum.
 371 Quas regum caedes laniataque viscera nosces,
 372 defluat ut rapidus spumanti sanguine torrens !"
 373 Nondum finierat, duro cum vertice saxi
 374 currentem videre virum catulosque sequaces
 375 post tergum et rabidis urgentes dentibus armos.
 376 Non aliter, lepores Tyrrhena per arva volantes
 377 alipedum cum turba canum laceratque voratque
 378 certatim mersis disrupta in viscera rostris.
 379 Post densos frutices latitantem ac dira timentem
 380 corripuit rabido tigris Cocytia morsu
 381 membraque rorantes per vepres secta reliquit.
 382 Mox rursus coiere artus - mirabile visu ! - ,
 383 Inque suam rediit vix sano vulnere formam
 384 corpus et in scopulo frendens consedit acuto.
 385 Altera defuerant (ni fallor) lumina fronti.
 386 Ad quem conversus Pipini magnus alumnus,
 387 "Crimine quo tantas meruisti pendere poenas,
 388 dic", ait, "umbra, mihi ! Phrygiine ex urbe Quirini ?
 389 Egregia de stirpe ducum tua monstrat imago
 390 te genitum." Haec Carlus ; cui Poenus talia reddit :
 391 "Nulla fides nullusque metus cultusque deorum
 392 exstitit in me." inquit, "Solum mihi numen in ense.
 393 Et jurata patri ante aras puerilibus annis
 394 proelia perfeci sacrataque foedera rupi.
 395 Disjecique Alpes et saxa per invia duxi
 396 turriferos barros. Saturavi sanguine campos
 397 Aeneadum Ausonios. Nostrum, dum sidera caelum,
 398 dum silvae frondes, dum pisces pontus habebit,
 399 Italia horrebit nomen." Nec plura locutus,
 400 ut sensit strepitus atque ora patentia vidit
 401 adventare canum, praeceps de montibus altis
 402 desiliit, laceros et acutis sentibus artus
 403 induit et scissum confixit murice corpus.
 404 "Aspice Caligulam lacerum crudeliter ora !
 405 Quam procul a laeva concisam in fronte cohortem
 406 cernis (et impastae truncata cadavera tigres
 407 dilacerant regum), fuit haec acerrima Christi
 408 hostis et innocuum sparsit violenta cruorem.
 409 Aspice purpureo rorantes sanguine fratres
 410 Thebarum ! Mediis nec cessant aspera poenis
 411 exercere odia, et ferri si copia detur,
 412 mutua fraternis vibrarent spicula dextris.
 413 Sed longe ante alios Cosdras vel tigride peyor
 414 dat scelerum poenas, rodunt quem mille cerastes.
 415 Quid tibi Tyrrheni referam tormenta tyranni ?
 416 Audis Tartareo, quos evomat ille, sepulchro
 417 clamores : laniant rabidi sua pectora vermes.
 418 Mortua sic olim conjunxit corpora vivis
 419 efferus, ut tabo miserorum absumeret artus.
 420 Vitelli flammis dolet evasisse sonantes
 421 Flavius haud similis fratri magnoque parenti.
 422 Hunnorum princeps, terrarum maximus horror,
 423 sanguine rorabat bis mille in frusta resectus,
 424 quem fera per scopulos membratim turba luporum
 425 discerpit : Christi fuit immanissimus hostis.
 426 Nec procul Herculeus Caesar laceratur eisdem
 427 suppliciis, dirae pascunt sua membra volucres."

428 Ut geminos Carlus vidit manante cruore
429 foedatos raptis oculis et vulnere turpi
430 naribus abscissis, "Quae monstra horrentia cerno ?
431 Dic", ait, "o virgo, patriam, dic nomina regum !
432 Cur Deus aeterna caligine lumina texit ?"
433 "Acrius infestis laniantur morsibus ambo
434 Ausoniae caedes", respondit, "et oppida versa
435 effera barbaricos testantur facta furores.
436 Plorat adhuc", Titanis ait, "Syllana propago
437 funditus eversis muris caesisque colonis,
438 terrarumque caput quondam pulcherrima Roma
439 per septem deserta dies deflevit in ignem.
440 Hic ferus est Totilas, Latii communis Erinys.
441 Hic Geticis primum Romam circumdedit armis
442 Ausoniam vastans nimbosae grandinis instar.
443 Quem torvo aspectu et procero corpore cernis,
444 quem lupa, quem serpens horrendis morsibus urgent
445 membraque discerpunt, rex ultimus ille Gothorum est.
446 Cujus mille premunt per sentes corpora tigres,
447 impius in Christum strinxit Maxentius ense.
448 O, si Bistonii laniari viscera Martis
449 vipereis serris disruptaque membra secari
450 aspiceres, maneat diros quae poena gigantes !
451 Obscurae sed enim vallis torquentur in imo.
452 At breve nos urget tempus, prohibetque morari
453 Inferni regina throni. Cernamus et illos,
454 qui sibimet vitam dextra rapuere nocenti.
455 Hunc superamus", ait virgo Titania, "collem."
456 Haec dicens volucris cursu per inhospita saxa
457 labitur. Assequitur non tardus Belgicus heros.
458 Protinus ingentem ramis frondentibus ulmum,
459 quae fuerat medio spatiosi consita campi,
460 suspiciunt, quantam Palibroti humentia circum
461 culta ferunt (fama est stabulari armenta sub una
462 arbore barrorum solemque expellere ramis).
463 Hanc circum vanas hominum volitare figuras
464 et miris simulacra modis errantia cernunt.
465 Tum vespum numerosum agmen, tum dirus asilus
466 crabronesque feri saevo stridore ruebant,
467 Albunea ut silva haec pestis sub sole recenti
468 terret anhelantes trepida formidine vaccas.
469 Constitit admirans simulacra volantia Carlus.
470 "Cur ita diversis plectantur crimina poenis ?"
471 Talia mirantem multis e millibus unus
472 alloquitur : "Nostri si tangere cura doloris
473 ulla potest causamque cupis cognoscere culpae :
474 rupimus invito mortalia vincla Tonante,
475 carceris humani commissam liquimus arcem.
476 Fodimus, heu, nostris crudeles pectora dextris !
477 Nunc quam vellemus duros tolerare labores
478 mortalis vitae primumque resumere corpus !
479 Sed Styx et leges aeterni numinis obstant.
480 Nec te suspensum teneant, quae corpora cernis :
481 apparent, nec vera, tamen terrestria membra.
482 Verum animae rursus sua corpora quaeque resument,
483 ut simul aut vitam aut capiant sine fine dolores.
484 Tormentum sceleri majusque minusque paratur.
485 O, utinam campi postquam maduere Philippi

486 sanguine bis Phrygio, pectus non ense petissem,
487 incola non essem tenebrosi Cassius Orci !
488 Illa est magnanimi conjux carissima Bruti,
489 quae clausit rapidis ardentia guttura flammis.
490 Cujus sic laceros cernis crudeliter artus,
491 deposuit moriens Campanos Taurea fastus.
492 Qui gestat latum transfosso pectore vulnus,
493 Aeacide Telamone satus, fortissimus Ajax.
494 Respice, ne cineres violaret Dido Sichaei,
495 despecto in flammis sese projecit Iarba."
496 Plura locuturum fodit furialis asilus.
497 Condoluit Carlus, sed vultu Astraea sereno
498 annuit inferni poenis non esse dolendum.
499 "Quem fixum in spinis prostrato corpore cernis,
500 Judaeae quondam praeses Pilatus iniquus.
501 Hic est mollis Otho, conjux est illa Latini.
502 Sed longum numerare omnes." Titania dixit.
503 Inde abeunt celeres per regna carentia luce,
504 sanguineae donec venere ad stagna paludis.
505 Pons erat annosus ruituro fornice, subter
506 Cocyti stabat rubicundi immobilis unda.
507 Trans amnem parvus surgebat vertice collis
508 molliter acclivi. Post silva et vallis amoena.
509 Illic mellifluo stillabant fonte liquores,
510 ante oculos passim spumantia vina fluebant,
511 multaque pendebant plenis redolentia lucis
512 poma, quot autumno gignit Phaeacius hortus.
513 Subter erant tenues macilento corpore turbae,
514 innumeri populi matrumque virumque sedebant,
515 quos vexante fame tristis prohibebat Erinnys
516 regifico ante oculos luxu contingere mensas.
517 Atque ante ora fluens electro purior amnis,
518 augebatque sitim spumantis copia Bacchi.
519 Qualis erat facies pallore simillima morti,
520 ut quondam obsessus circum Petraeus Ilerdam
521 Caesareis turmis arenti in vertice montis
522 despexit fluvium pressa sub valle fluentem.
523 "Hoc", Titanis ait, "luco cruciantur avari :
524 inter opes inopes. Longe, quam rere, dolores
525 majores dat macra cohors." Stat lumine torvo
526 Alecto invigilans, nudo intonat ense Megaera
527 nec gustare sinit quicquam. Caeloque rebellis
528 Plutonis scelerata phalanx horrenda flagello
529 verbera congeminat dicitque minantia verba :
530 "Laetiferum cumulate aurum ! Spoliate deorum
531 auratas aedes ! Saevas agitate rapinas !
532 Crudeles, nullam partem posuistis egenis !
533 Hoc vobis ingens tormentum ditibus instat :
534 quanto major erit census, majora luetis
535 supplicia. Invitis mors abstulit omnia vobis !"
536 Tunc unus pandens arentia guttura supplex
537 poscebat vili linguam irrorarier unda,
538 in cuius subito Plutonium ore satelles
539 demersit candens aurum fervensque bitumen.
540 "Hic aquilas olim victricis arma Quiritum
541 victus apud Carrhas Parthorum amisit in arvis.
542 Hic quoque, cum posset cumulatis proelia gazis
543 ferre diu atque ultro Romana lacescere bella,

544 caecus avaritia pugnae mercede negata
545 dimisit Galatas Thracesque in Marte probatos.
546 Me rudem primus navim mirantibus undis
547 obtulit : insolito stupuit cum pondere Tethys,
548 caeruleoque udis curru Neptunus ab antris
549 audaci pontum doluit patuisse carinae.
550 Ad quid mortales, auri scelerata cupido,
551 cogis ! Nempe omnis labes et origo malorum
552 ex hoc fonte fluit, caedes et furta, rapinae.
553 Forsitan et plures circo cruciantur in isto,
554 cetera Dictaei quam torqueat aula tyranni."
555 Talia dum magna narraret voce per umbras
556 Titanis, vidit fulgentibus aurea gemmis
557 unius niveo pendere monilia collo,
558 taeter et e rupto manabat pectore sanguis.
559 "Dic mihi," Carlus ait, "virgo, quam cernimus umbram ?
560 Signatum cur pectus habet ? Cur plena pyropis
561 est torques ? Stygiasne aurum portatur ad undas ?"
562 Tunc una ex scutis pressum caput exserit imis
563 obliquoque aegre respexit lumine regem
564 atque haec subtristis confuso immurmurat ore :
565 "Prodidit ista virum, devicta cupidine gemmae,
566 et merito nati servat sub pectore vulnus."
567 "Nec levior tua culpa mea est ! Quid detegis," inquit,
568 "uxorem Argivi vatis, Tarpeia, Quiritum
569 dedecus, obsessam quae prodidit hostibus arcem ?"
570 Dum sic alterne convicia mutua jactant,
571 "Meme", Cresus ait, "Lydorum cernite regem,
572 nunc mendicantem, cujus domus aurea quondam
573 stabat, et auratis residebant tecta columnis !
574 Huc nudus tandem infernas pervectus ad umbras
575 tristia perpetior vilis jejunia panis.
576 Hoc dives mecum cruciatur Lazarus igne,
577 cui pretiosa licet superaret copia mensae,
578 non tamen hic ullam partem donavit egenis.
579 Aret et in mediis sitibundus Tantalus undis."
580 Talia dicentem arripuit Vulcania lampas
581 arridaque in sicco combusta est lingua palato.
582 "Aspice, qui flavas moriens ditavit arenas
583 Pactoli", Titanis ait, "squalentia cujus
584 pallor obit croceus compressis dentibus ora !
585 Cerne sub ingenti saxorum mole gementem :
586 vix caput attollit contritis ossibus Accham."
587 Ut rapidum sensit flammis crepitantibus ignem
588 Carlus et obnubi nigra caligine vallem
589 et liquidum vidit ventosis follibus aurum
590 effundi, "Quaenam fulvi pretiosa metalli
591 vena", inquit, "coquitur ? Quorsum nunc manibus imis
592 usus adest auri ?" "Per quae peccavit, eisdem
593 torqueri debet." Respondit diva virago.
594 "Sacrilegus Verres liquefacto exuritur auro.
595 Hic ingens turba est. Haec dira et maxima pestis
596 infecit mortale genus. Torquentur in imo
597 Christicolae ingrati, potius quibus exstitit aurum
598 quam praecepta Dei, qui pascere jussit egentes
599 et tegere argentes et solvere carcere vinctos.
600 Aspice, quam torvo nos spectat lumine Tryphon,
601 motet ut ardenti fumantia membra lebete

602 incassumque vocet Saxon super aethere fratrem !
603 Hic est ille Simon, sacram qui prodidit urbem
604 hostibus et gemmis templum spoliavit et auro
605 sanctaque sanctorum nulli reserata profano
606 polluit et fractam patefecit gentibus arcam.
607 Ille sacros nummos rapuit Salomonis ab aede
608 Simacus ; ante omnes et furto et caede Nicanor
609 Pleminius, quamvis inhonesto vulnere templi
610 ultrix spiranti sciderit Proserpina nares.
611 Difficile est monstrare omnes, urgetque morantes
612 hora brevis cursus, et restant multa videnda.
613 Sed vertamus iter laeva, nam rupe sub illa est
614 Vallis iners (Itali sic illam nomine dicunt)
615 perpetuis munita jugis. Cernamus inertes
616 et resides animas quondam, dum vita manebat ;
617 nunc labor aeternus vexat." Nec plura locuta,
618 per declive jugum labens perniciosior Euro,
619 ceu, leporem aut cycnum cum vidit ab aethere summo,
620 devolat horrendus pennis stridentibus astur.
621 Mons erat acclivis, per quem descensus ad imum
622 ut paries praeceps erat, ut per levia saxa
623 non mus, non scaber posset reptare chelydrus.
624 Planitiem ignotam subter nebula atra tegebat,
625 majorem ut facerent geminata pericla timorem.
626 At non Francorum cessit fiducia regi :
627 per declive jugum praeceps saltavit ad imum
628 et vatem assequitur non tardis passibus heros.
629 Tunc vero excussis nebulis currentia vidit
630 agmina, quae saevis Cocytia virgo flagellis
631 impellebat agens stimulisque urgebat inertes.
632 Illi humeris curvis ingentia saxa gementes
633 vectabant apicem ad summum de vallibus imis.
634 Cum vero ad celsi perventum est culmina montis,
635 in caput hinc fessos daemon trudebat ad imum ;
636 pondere tum vasto scopulis lacerabat acutis.
637 Corpora pulvereo contrita cruore jacebant.
638 Sed subito ad poenas rursus rediviva coibant
639 membra, iterumque humeris onus intolerabile ponens
640 urgebat tardos Plutonium ense satelles.
641 "Hic, hic pigra luent magno sub pondere segnes
642 otia ! " Clamavit flammantiaque ora retorsit
643 in Vaccam ferrumque ardens in viscera torsit.
644 "Sic cessas, tamquam Campanis otia terris
645 rursus agas ! Sunt hic, sunt hic sine fine labores !"
646 Ut vidit Carlum demissa fronte tuentem,
647 "Quid miraris ? " ait partemque e rupe revellit
648 ingentem, quantam gemini vix ferre juveni
649 depressa cervice queant, et concitus ira
650 in regem portabat onus. Tunc Belgicus heros
651 vagina intrepidus fulgentem diripit ensem.
652 At virgo antevolans ferrata cuspide rictum
653 fixit et "Esto procul !" dixit torvumque minantem
654 freudentemque abigens miseras rejecit ad umbras.
655 "Quid spectas", Titanis ait, "dux inclyte, turbam ?
656 Agnosces nullum. Restant sine nomine poenae.
657 Et merito : nullum fecerunt otia clarum."
658 Jam medium caeli transcenderat aurea Phoebe
659 noctivago curru, cepit cum talia virgo :

660 "Dum Deus obscurae labentia tempora noctis
661 concedit, necdum clarum jubar extulit ortus,
662 intima lustremus caeci penetralia regni.
663 Illic nubigenas et formidanda gigantum
664 corpora praevalidis cernes artata catenis.
665 Illic cunctorum radix et causa malorum
666 plectitur horrendis scelerata superbia poenis,
667 haereticique omnes fundo torquentur in imo.
668 Hic quoque perfidiae scelus exitiale crematur :
669 ne quaeras poenas. Sed quid te demoror ? Huc, huc
670 me sequere !" Haec dicens subiit squalentibus antrum
671 obtectum spinis. Sine calle aditusque reflexus
672 angustum praebebat iter rimisque malignis
673 obscura in gyrum saxo spelunca cavato.
674 Vel latus obliquum peracuta rupe terebat,
675 aeneaque in duris sonuerunt cautibus arma.
676 Intima telluris perventum in viscera tandem est,
677 quem dixere locum Grai cognomine centrum,
678 unde omnis spatio cycli perducitur aequo
679 linea contingens extremi marginis oras.
680 Nec locus aethereis ullus distantior astris.
681 Rex ubi caelicolum sublimi in sede moratur
682 sub pedibusque suis pendentem despicit orbem,
683 tunc juga sub plantis magno commota fragore
684 sensit et horrendam saevo stridore procellam
685 involvi et vastae nutantia dorsa cavernae.
686 Non aliter rabies ventorum in viscera terrae,
687 quam postquam autumnus torrenti sole reclusit,
688 obice disrupto erumpens cum murmure magno
689 prostratis muris evertit funditus urbes :
690 subsidunt montes et mutant flumina cursus.
691 "Dic, virgo, causam," Pipinius inquit alumnus,
692 "cur tenebrosa feri quatiatur regia Ditis !
693 Quis movet aereas tam magno turbine turres ?
694 An Jovis irati perturbant fulmina manes ?"
695 Subridens Astraea inquit : "Non arma tonantis
696 Tartara concutiunt. Prisco regit ordine mundum
697 rex caeli et terrae. Propius si lumina figes,
698 terrigenas cernes ingenti mole gigantes,
699 quos validae adstringunt candenti ex aere catenae.
700 Dum latera incassum motant ambesa gementes,
701 clamores, quales audis, ad sidera tollunt.
702 Cujus adhuc cernis manantia tempora tabo,
703 disruptum fregit Balearis funda cerebrum.
704 Aspice, quam torva in caelum convicia fronte
705 dicat adhuc, Tyria ceu quondam victor in arce,
706 ut fumant sacris crepitantia pectora taedis !
707 Hic est centimanus Briareus, quem ferrea vincla
708 mille premunt, vasta cervix sub mole gravatur.
709 Immanemque Libym lapidosus conterit Atlas,
710 et cum sulfureo Enceladum gravat Aetna Vesevo ;
711 Nebrotusque ferox toto prostratus in antro
712 ceu basis ingentes pressa cervice columnas
713 sustinet atque auras vitales gutture clauso
714 insolitum per iter, desecta per ilia, carpit."
715 Ardentem medio Salmonea vidit in igne,
716 siderei frustra mentitum fulmina regis.
717 Immensasque dabant poenas Pholusque Polusque,

718 conversa in silicem Niobe cum prole superba
 719 Latone natis non concessura sub alto
 720 maerebat saxo ; laceros crudeliter artus
 721 pascebant avidi corvi, vulturque renascens
 722 cor primum arrodens oculos linguamque vorabat.
 723 Tullia Tarquiniusque simul laceratur ab hydris,
 724 quattuor aversae quorum laniata quadrigae
 725 in diversa trahunt per acutos corpora sentes.
 726 Nec longe Metius discerptus membra cruore
 727 foedarat dumos et saxa fluentia tabo.
 728 Et parricidae laniari corda Phraartis
 729 et Decii aspexit serris stridentibus artus
 730 discindi, geminos saeva qui fraude Philippos
 731 fodit et in Christum distrinxit perfidus enses.
 732 Praeterea ingentem vidit sine nomine turbam
 733 demersam in caeno, supra quam fagus axis
 734 currebat, stimulisque ferox auriga volantes
 735 impellebat equos, donec contrita cruore
 736 undique ferratos macularint viscera currus.
 737 Hos juxta haeretici, tristis sentina veneni
 738 seu sordes Erebi fundo defluxit in imo.
 739 Illic Tiresias et cum Calcante Melampus
 740 Tyrrenusque Tages, artis monstrator iniquae,
 741 tristia vipereis absorbent pocula succis.
 742 Arrius aspideis liventia pectora gyris
 743 cinctus erat, cujus rodens praecordia serpens
 744 edebat ternis horrentia sibila linguis,
 745 fusaque Tartareae laniabant viscera tigres.
 746 Livida terribilis Manichaei scorpius ora
 747 Ebionisque truci fodiebat cuspide pectus.
 748 "Hic est Lysimachus princeps," Titania dixit,
 749 "qui sacra sanctorum et Christi simulacra cremavit.
 750 Respice, ceu serpens depascitur ora Cherinti
 751 falcatoque artus discerpserit ungue cruentos !
 752 Aspice Costantem fratri magnoque parenti
 753 dissimilem, ut saevi lacerent sua membra colubri !
 754 Haec est Justina Ambrosio contraria : quantis
 755 aeternum infelix Erebi laceratur ab hydris !
 756 Ille Valens vitio et poena damnatus eadem est.
 757 Hic est Nestorius, rodit quem turba chelydrum,
 758 haereticusque Libys consumptique ora Photini."
 759 Non tot harenosae Libyes deserta peragrans
 760 pestiferis angues invenit Portius arvis,
 761 quot nunc cornigeri Maumetti corpora circum
 762 saucia fredebant diro stridore cerastes
 763 tabida sanguineis macerantes viscera malis.
 764 Porphyrio et Celso linguas ex ore revulsas,
 765 mox alios artus basiliscus dente terebat.
 766 Qui Christum in Persis accepto vulnere sensit
 767 esse Deum, poena Caesar laceratur eadem.
 768 Proditor infestus inter Catilina colubros
 769 esca jacebat humi, corrupta cadavera vermes
 770 paulatim laniant. Tum saevis morsibus artus
 771 plurima vivaces lacerando vipera mandit.
 772 Impius hunc juxta sub dente Philippicus hydrae
 773 conteritur, vellitque atrox sua lumina serpens.
 774 Nec procul Hippocrates aberat Mutinesque bilingues,
 775 et totiens animo varius Menodoni iniquo

776 infidusque Amasis caeno merguntur in atro,
 777 sese Tartareis praebentes pabula cancris.
 778 Est puteus mediae centro telluris in imo
 779 obscurus, totas cujus densaverat undas
 780 in glaciem deformis hiems, gravis halitus unde
 781 emanans taetro infernum vitiatat odore.
 782 Ut vidit vacuum, "Quibus ille reconditur umbris ?"
 783 Carlus ait, "Dic, virgo, nefas gentemque malignam !
 784 Formidabilior non est locus alter Averni."
 785 "Impius hic", dixit vates Titania, "quisquis
 786 struxerit insidias patriae, demergitur ima
 787 suffossus glacie. Latet et laceratur ab hydris,
 788 qui primum aethereo movit bella impia regi,
 789 interiore sinu puteique voragine mersus
 790 sustinet immensas scelerato e crimine poenas.
 791 Et merito, summo cecidit qui culmine caeli,
 792 perfidiae tantae reus excrucians in imo
 793 Tartarei baratri torqueri debuit amne.
 794 Ultimus extremo cruciatur proditor antro
 795 crure tenus Judas demersus in ore Chimerae
 796 inque venenoso concisus dente secatur."
 797 Dum celerem Carlus volvit per singula mentem
 798 Infernique omnes aditus imosque recessus,
 799 dum miseros manes lustrat, dum crimina discit,
 800 plenus ut innumeris jam Tartarus aestuet umbris,
 801 stat rationis inops. Tunc virgo Astraea morantem
 802 increpitans regem, "Tempus non postulat", inquit,
 803 "segnitiem tantam. Fugit hora, et stamina Parcae,
 804 dum loquimur, plenis involvunt ultima fuis.
 805 Horrida Dictaei linquamus claustra tyranni,
 806 linquamus miseros cives lacrimabilis urbis.
 807 Elysiam vallem et lucos lustremus amoenos,
 808 purgatis ut mox vitiis ad sidera tendas."
 809 Dixit et egrediens Erebi per mille labores
 810 incolumem niveae portae per limen eburnum
 811 eduxit Stygiis undis post terga relictis.

VII

C_7 v.1 Dardanium jam diva senem roseumque cubile
 2 Aurora extremis surgens linquebat ab Indis,
 3 noctis et humentem Titan detexerat umbram,
 4 cum vitrei Carlus residens in margine fontis
 5 respicit horrendos latices Acherontis avari
 6 et Phlegethontae resonantia saxa lacunae.
 7 Horret adhuc animus, ceu fracta navita puppe
 8 litoris ignoti cum nando evasit ad oras,
 9 sit licet in tuta, pavidus tamen haeret arena.
 10 Hunc ubi sidereus squalentem sordibus ales
 11 membraque Tartareo vidit deformia fumo,
 12 liventes maculas currenti in flumine jussit
 13 abluere. Ad dextram, qua fert vestigia virgo,
 14 carpat iter ponatque metum. Nec jussa moratus

15 immundam nitidis faciem deterisit in undis
 16 assequiturque ducem non tardis passibus heros.
 17 Una agri species, sine fruge, sine arbore nudus
 18 campus erat, qualis Libycis deformis in oris
 19 inter Cyrenes Syrtesque interjacet ambas.
 20 Jucundo interea vates sermone levabat
 21 lenibatque viam acclivem longosque labores.
 22 Jam medium caeli culmen dimensus Apollo
 23 aequali Gangem spatio secrevit Ibero,
 24 cum virgo et Carlus sublimi vertice montem
 25 longarum cernunt claudentem extrema viarum.
 26 Planitiem a dextra praecisae ut moenia rupes,
 27 cingebatque palus laevam stagnante lacuna.
 28 Quin sonitu ingenti per saxa minantia torrens
 29 spumeus objectas frangebat vortice cautes,
 30 inde sinistrorsum versus currebat Eoum,
 31 ceu rapido velox Taurum cum murmure Tigris
 32 percutit objectum et flectit contrarius undas.
 33 Tandem ubi perventum est montis radice sub ima,
 34 suspiciens altas rupes atque invia saxa
 35 haesit inops animi Carlus : nam semita nulla
 36 ostendebat iter. Transgressus et aethera celsus
 37 deterrebat apex, tum - visa asperrima - rupes.
 38 Conspectisque jugis duri crevere labores :
 39 sic, ubi vicinas Poenorum exercitus Alpes
 40 suspexit, cecidere animi, nam tangere caelum
 41 culmine nubifero visa est altissima moles.
 42 Vidit ut haerentem ac dubium Titania regem,
 43 "Difficiles vincamus", ait, "dux magne, labores !
 44 Omnia virtuti parent. Licet aspera primum
 45 sit via, mollis erit paulatim ascensus eundo.
 46 Et quanto propius tendes ad sidera, tanto
 47 fiet iter levius, dum plano in vertice sidas.
 48 Me sequere !" Haec dicens rupem conscendit et omnes
 49 explorat faciles aditus et molle cacumen
 50 reptantemque manu attollit regemque sequentem
 51 hortatur monstratque viam firmatque labantem.
 52 Non secus ignaris pullis praemonstrat hirundo
 53 antevolans iter et nidum contemnere suadet,
 54 ignotum ut rudibus pertentent aera pennis.
 55 Sic acclive jugum, sic saxa per invia reptans
 56 lubrica firmabat tremulis vestigia plantis,
 57 salsus et irriguos sudor madefecerat artus.
 58 Verum ubi precisae perventum ad limina rupis,
 59 ambigui extremo residens in margine saxi
 60 Belgarum regem venientem Astraeta recepit.
 61 Illic cum nimios requies alterna labores
 62 sublevat, et dulci recreatur spiritus aura,
 63 "Quam tenuis", Titanis ait, "fiducia vestra est.
 64 Mortales labuntur opes, mutatque vicissim
 65 regnorum instabilis Fortuna volubile saxum,
 66 enervat robur formamque obscena voluptas
 67 effugat, et rugis facies deformis aratur.
 68 Sic brevia in longum vertit mors gaudia luctum.
 69 Erigite in caelum mentes, si cura perennis
 70 est vitae ! In primis, gentis tu maxime rector
 71 Rhenicolae, contemne viam superaue ferendo,
 72 quaecumque inceptum prohibent discrimina cursum !

73 Ne dubites, jamjam pandetur semita caeli."
 74 Vix haec ediderat, magno cum turbine post se
 75 aera commotum sensere animasque canentes,
 76 quale solent nivei tranantes nubila cygni
 77 edere vere novo stimulante libidine carmen :
 78 "Salve, Christe, potens rerum, de virgine cretus,
 79 cui mare, cui tellus, cui caeli sidera parent,
 80 qui nos jussisti meritas expendere poenas
 81 et crimen nostrum crepitantibus urere flammis,
 82 purgati ut demum ardenti potiamur Olympo !"
 83 Talibus orabant umbrae passimque canebant.
 84 "Pandite, felices animae", Pipinius inquit,
 85 "qui brevior callis superas nos ducat ad arces !
 86 Este duces nobis caelique aperite recessum !"
 87 Tunc una est breviter rutila de nube locuta :
 88 "Qui cupis electas astrorum visere sedes,
 89 ante jugi lustrandus apex. Si fata repugnant,
 90 haud umquam ascendes. Si dant ea munera Parcae,
 91 sponte patebit iter, nec te via longa retardet.
 92 Exoriens feriat semper tua lumina Phoebus,
 93 laeva petat Boream, radat tua dextera montem,
 94 namque latus laevum barathrum deducit ad imum.
 95 Non licet hinc cuiquam invito custode moveri.
 96 Hic luitur saevi scelerata superbia fastus.
 97 Me quondam Stygiis demersum attraxit ab undis
 98 optimus antistes ; caelestis janitor arcis
 99 nos precibus sanctis crudeli exemit Averno."
 100 Nondum finierat, cum vates alma loquentem
 101 interfata ducem est, proprio sic nomine dicens :
 102 "Trajane armipotens, Romanae gloria gentis,
 103 Aeneadum extremos primus qui victor ad Indos
 104 victrices aquilas felici Marte tulisti,
 105 dic mihi, cum sacris fueris non lotus in undis,
 106 qua meritis causa leges mutare Tonantis
 107 et nullo aetherei signatus dogmate Christi
 108 rursus ab infernis undis ad sidera tolli ?"
 109 Sic vates. Paucis sic inquit Martius heros :
 110 "Victor ab Aurora Parthis Indisque fugatis
 111 dum repeto aestiferas pharetratae Persidis oras,
 112 dum Caelosyriam Salomonis et inclyta templa
 113 quondam - tunc magnae restabant signa ruinae -,
 114 magna sacrosanctae fidei mysteria novi :
 115 quid Moses scripsit, quicquid cecinere prophetae,
 116 Tarsensis legi divina volumina Pauli.
 117 Tunc mihi siderei visa est certissima Christi
 118 relligio, tunc templa Deo veroque Tonanti
 119 devovi in medio Tarpei vertice montis,
 120 cum Capitolinae tetigissem moenia Romae.
 121 Antiochi sed me mors importuna peremit
 122 finibus, optatos secum invidiosa triumphos
 123 praeripuit, ne thure sacro fumantia templa
 124 Caesaridum primus divino in fonte renatus
 125 lustrarem. Abluerat nondum me mysticus humor.
 126 Infelix, nimium quicumque volatile tempus
 127 exspectat deses ! Sic longo tempore longus
 128 eluitur fastus. Sed quid vos demoror ? Ite
 129 per dextrum callem nec flectite lumina retro !"
 130 Dixit et horrendum specus aspicientibus illis

131 umbra petit penitusque ardens se misit in antrum,
132 unde eruptabant squalenti incendia fumo,
133 qualia terrificis fervens ardoribus Aetna
134 evomit, Enceladus motat cum pectus adustum
135 saxaque sublimes liquefacta ejectat in auras.
136 Nec mora, Trajano Carlus vatesque relicto
137 devia nimborum tendunt ad culmina montis.
138 Nullaque per densos hominum vestigia sentes
139 semita monstrabat ; veluti deserta Madere
140 frondosa, aut celsum siquis lustraret Olympum.
141 Interea virgo salebrosi taedia collis
142 sublevat et dulci fallit sermone laborem.
143 "Tale iter in caelum. Talis via ducit ad astra."
144 Jamque ardens, Aethon, Xanthus veloxque Podarces
145 stelliferum proni Maurorum in gurgite currum,
146 mergebant, positus depascunt gramina frenis,
147 ut longos possint lucis tolerare labores
148 flammiferasque rotas caelum vectare per amplum.
149 Ibant securi, quamvis nox atra timorem
150 incutiat : tantas dederat fiducia vires,
151 tantum animi Carlo dux et promissa parentis
152 contulerant. Sed vox rupe est audita sub illa :
153 "Sistite ! Nocturnas donec sol detegat umbras,
154 fata obstant, caelique aditus nox atra recondit,
155 observatque apicem nudato Archangelus ense.
156 Plurima praeterea rapidarum monstra ferarum
157 his errant silvis et tantum nocte vagantur.
158 Exspectate diem frontemque armate rubenti
159 ambo cruce, hoc tuti mecum requiescite saxo !"
160 Haec dicens detorsit iter propiusque recepit
161 defessos in sede libens. Cui Belgicus heros,
162 "Pande tuum, generose", inquit, "nomenque genusque,
163 spiritus ! Haud vilem stirpem praesentia monstrat."
164 Sic Carlus. Sic umbra illi respondit : "Ad aures
165 Francorum si fama tuas pervenit, origo
166 gens fuit illa mei. Clodoveus nomen, in undis
167 quem pius antistes Remisius abluit. Ille
168 me docuit regno tumidum rebusque secundis
169 inflatum magnos animi deponere fastus.
170 Causa boni fideique fuit dilecta Clotildis.
171 Nunc aevo aeterno fruitur super aethere felix."
172 Non tulit ulterius fari Pipinius umbram,
173 amplexus frustra dat inani basia fronti.
174 "Quid refugis ? Sum Carlus," ait, "Pipinia proles.
175 Ille tuus pronepos, qui te et tua gesta secutus
176 Saxoniam nostris telis parere coegi !"
177 Plura locuturum percepto nomine Carli
178 devincit strictisque amplectitur umbra lacertis,
179 et lacrimae fluxere genis. Tum mutua miscent
180 colloquia et laeti de regno multa loquuntur
181 per noctem. Hic somnum, poenam non percipit ille.
182 Non procul est ingens sinus et metuenda vorago :
183 umbrarum statio praecisis undique saxis.
184 Illic diversis solent purgantur crimina poenis.
185 Ut pretiosa solet flaventis vena metalli
186 purgari, et sordes secernit torridus ignis,
187 mox purum simplexque micat, quod liquitur, aurum,
188 sic pura ablatis in caelum sordibus umbra

189 evolat aeterno fruitura perenniter aevo.
 190 Dimidium jam noctis erat, seramque quietem
 191 accepit vatisque sinu Mavortius heros
 192 subnixus tandem vigilantia lumina clausit.
 193 Plurimaque ante oculos miris portenta figuris
 194 delusos trepida implebant formidine sensus.
 195 Ecce videbatur vastum spectare gigantem,
 196 cujus sidereas caput attollebat in arces.
 197 Tellurem ambobus pedibus calcabat et undas,
 198 Lumina terribiles flammis truculenta vomebant.
 199 Ingens rictus erat nudoque obscurior Indo
 200 falcatosque unguis laeva dextraque ferebat.
 201 Horridus et volucres captabat ad astra volantes ;
 202 laetus et apprensas nigrum mergebat in amnem,
 203 vel ferus attritas saxo elidebat acuto.
 204 Millibus e multis si forte evaserit una
 205 in caelum, tonat ore gigas atque aestuat ira,
 206 ablata qualis saevit lupus improbus agna,
 207 implet ut abrepto vitulo mugitibus auras
 208 vacca fremens, catulis ut tigris saevit ademptis.
 209 Nec mora, terribilem saevo cum turbine vidit
 210 serpentem caelo delabi fulminis instar,
 211 cui capita assurgunt septem totidemque coronae.
 212 Cornua lata decem squamosis frontibus exstant,
 213 tergora qui pardi maculis distincta ferebat
 214 informisque pedes ursi, rabidi ora leonis,
 215 cetera vipereus serpens viridisque cerastes.
 216 Ingentique suae detracta volumine caudae
 217 sidera verrebat caeloque refixa trahebat
 218 horridaque adversus superiorum proelia regem
 219 miscebat ; victusque dabat mox terga per auras.
 220 Inferiusque petens barathrum telluris hiatu
 221 stat patulo absorbetque omnes juvenesque senesque
 222 improbus immenso laceros deglutit in alvo.
 223 Hic ubi nequicquam caelesti virgine cretum
 224 infantem valuit duro comprehendere morsu,
 225 Tartaream furibundus humum Stygiamque paludem
 226 accessit nigrisque Erebi se condidit umbris.
 227 Gemmiferisque alis vidit candore nivali
 228 quattuor auratis Paradisi erumpere portis
 229 cum phialis divos. Primusque in vertice summo
 230 trans Gangem solis croceos consedit ad ortus,
 231 occiduaeque alter calcabat moenia Thule.
 232 Tertius (ardentis ubi nascens irrigat agros,
 233 necdum limiferis Nilus septemfluis undis
 234 labitur occultus deserta per invia) pressit
 235 lunares apices vicinaque culmina caelo.
 236 Concreto quartus peragrabat frigore montes
 237 Rhipaeos Scythicamque plagam septemque triones.
 238 Hi subito fractis phialis vinclisque solutis
 239 Aeolios vulsis reserarunt postibus utres ;
 240 qui mare, qui terram diverso flamine raptent,
 241 ni propere aetherea labens ceu fulgur ab arce
 242 Angelus objectis frenasset cautibus Euros.
 243 Inde serenatus depulsis nubibus aer
 244 fulsit et in morem placidae stetit unda paludis.
 245 Mox Jovis alter adest stellatis nuntius alis,
 246 cui niveos crines per lactea colla fluentes

247 candida compescit lucentibus infula gemmis,
 248 Phoebeae facies micat aurea lampadis instar
 249 rubraque porphyreae rutilant ut crura columnae.
 250 Tellurem laevo, dextro pede comprimit aequor,
 251 et liber in dextra conchis distinctus et auro,
 252 qui crucis in tergo signumque in fronte gerebat.
 253 Visus et agnus erat spatiosa per atria caeli
 254 ire, sequebatur pictis exercitus armis,
 255 caelestisque phalanx circumque supraque volabat,
 256 et niveis purum castorum in vestibus agmen
 257 psallebat sacrosque hymnos uno ore canebat :
 258 "Improba jam cecidit Babylon mollisque Tonoscon,
 259 versa est in cineres Veneris sentina nefandae.
 260 Sint laudes gratesque Deo per saecula Christo,
 261 praemia qui justis posuit poenasque superbis."
 262 Vidit et a laeva residentem in tergoe monstri
 263 Aeneae matrem Cypri deserta petentem,
 264 quam cocco infectae tenui de stamine vestes
 265 ornabant ; nullum lascivo in pectore tegmen,
 266 flagrantique omnem rapiebat lumine turbam,
 267 myrtea pendebant depexis sarta capillis.
 268 Hanc circum madidi juvenes teneraeque puellae
 269 errabant Bacchusque comes mollisque Cupido.
 270 Omnibus his fuerat sinuosi forma draconis
 271 frontibus impressa, ut calido distinguere ferro
 272 armentum Calaber solet, ut noscatur imago.
 273 Haec epulis postquam ac vino lasciva juvenus
 274 debacchata satis florenti in gramine sedit,
 275 immemor exitii dulci laxata sopore est ;
 276 utque pecus ratione carens projecta virenti
 277 membra toro posuit. Caelo mox lapsa caterva
 278 aliferi clipeata chori Cythereia castra
 279 ignavosque hostes telis invasit acutis
 280 et numerosa premens Lernaei guttura monstri
 281 tabificos patulis efflantem faucibus ignes
 282 confodit frustra minantia colla cecidit.
 283 Pinguia mox spirans reginae balsama pectus
 284 laetiferaque omnem trajecit harundine turbam ;
 285 et rutila de nube sonus cecidit super agmen :
 286 "Nemo ausit posthac caesorum prodere nomen !
 287 Turpia perpetuam meruerunt crimina noctem."
 288 Attonitus dum monstra Dei Pipinius heros
 289 per somnum evolvit, gelidis Aquilonis ab oris
 290 armigeras caelo sensit volitare phalangas.
 291 Ceu modo, si strictis geminae mucronibus alae
 292 martem ineant, reboat cava vallis, contremat aer,
 293 haud secus aliferum discurrens agmen equorum
 294 omnia vastabat nimbosae grandinis instar.
 295 Ora leonis erant monstris caudaeque draconis,
 296 tergora equi ; taetrum jactabant naribus ignem :
 297 Aeolias cautes Aetnaeque ardentia saxa
 298 credideris. Caligo polum terramque premebat.
 299 Tertia pars hominum flammis ferroque necata est.
 300 Conflictu illato volucres abiere cohortes,
 301 purus et effulsit depulsis nubibus aer.
 302 Mox strepitu horrisono mota compage polorum
 303 stella refixa ruens flammis ardentibus undas
 304 aequoris oppressit, penitusque ruina profundum

305 concussit limum ; collisaeque membra gementum
306 Nereidum, Tritonque imis elisus in antris.
307 Ipse foret quamvis venturi praescius aevi,
308 non tamen effugit labentis sideris ictum
309 squamiferi custos pecoris. Sic Prothea vatem
310 et pecus omne neci ponti dedit ignea lampas.
311 Interea surgens croceo fugat astra flagello
312 Aurora imponitque jugum frenisque cohercet
313 Solis equos, valvae mox claustra revellit Eoae.
314 Erumpunt portis et cursibus aethera tranant.
315 Quo strepitu a somno Pipinius excitus heros
316 volvit inexpliciti secum miracula somni.
317 Quidnam portendant miris simulacra figuris,
318 haeret et ingenio nequicquam altissima tentat
319 noscere visa Dei. Tum caligantia nuper
320 exorti jubaris feriebant lumina fulgur.
321 Noctua non aliter tenebrosis excita rimis
322 obstupet ad solem lucemque exterrita vitat.
323 "Quid dubitas", Titanis ait, "rex inclyte ? Cessas
324 surgere ? Nox abiit. Quae te mora tardat euntem ?
325 Festinemus enim, dum culmina tuta capessas,
326 dum lux praebet iter. Tempus volat ocius Euro.
327 Noscere quid tentas frustra mysteria noctis
328 ambiguae ? Sed cum tanges sublime cacumen,
329 cum nitidum intraris Phoebeae lampadis orbem,
330 mystica caelestis Raphael tibi somnia pandet
331 perque omnes sphaeras affixaque sidera ducet
332 crystalli empyreique arces, ubi regia Christi
333 aurea gemmatis exstat miranda columnis.
334 Illic aspicias arcana sacraria divum,
335 quae Paulus vidit, quae mox Dionysius ore
336 divino scripsit. Quid cessas ? Perfice munus
337 incoeptum ! Phoebi rarescit lumine callis."
338 Dixit et in verbo passum direxit ad astra.
339 Nec segnis Carlus, clivi licet aspera saxa
340 ascensum impediunt penitusque sit in via capris
341 semita, pone tamen sequitur vestigia vatis.
342 Vicini quamquam torrent incendia solis,
343 me autem retro nusquam sua lumina flexit.
344 Interea sacris montem resonare querelis
345 Carlus et umbrarum stridentia verbera sentit.
346 Dum commissa luunt animae, sacra carmina fundunt :
347 "Salve, Christe, sator rerum mundique redemptor !
348 Quam dulce est servire tibi ! Concede, precamur,
349 ut mediis leti promamus carmina flammis,
350 qualia virgineus coetus Babylonis in igne
351 illaesus cecinit, viridi velut esset in herba !
352 Haec, quamquam gravis est, te poena levissima propter
353 fit nobis. Juste patimur sordesque lavamus,
354 securi ut tandem caelo cum pace fruamur."
355 Tunc una, ut radios fractos nec pervia solis
356 lumina conspexit, subita novitate quievit,
357 tranquillum immotis non vibrans aera pennis,
358 "Cernite, consortes animae, spirantia", dixit,
359 "membra hominis ! Lucemque objecta intercipit umbra !"
360 Insolita tunc re coetus stupefactus in unum
361 aspectum figit. Propius mox una volando
362 ad regem oratrix dixit coepitque salutem.

363 Ad quam sic placido Pipinius ore locutus :
 364 "O summo fruitura Deo, secura triumphi
 365 caelestis, monstres iter et tua nomina pandas.
 366 Non hic invidiae stimulis agitantur amaris
 367 felices animae ! Charitas amplectitur omnes." (graphie du grec)
 368 At non plura loqui passus sic spiritus inquit :
 369 "Quisquis es, aetherea qui nunc ascendis ad astra,
 370 corporea sub mole gravis, latus effuge laevum
 371 montis, et asperior quamvis sit semita dextra,
 372 tutior ista tamen te per compendia ducet.
 373 Ast ubi continges apicem, si forte voluntas
 374 Elysios primum tua fert circumdare campos
 375 cernereque egregias animas, quas mysticus humor
 376 non lavit - caeli idcirco privantur honore -,
 377 sunt geminae in bivio portae, de marmore quarum
 378 altera limen habet, postes ex aere rigenti.
 379 Hanc Curius Phocionque tenent ; custodia solers
 380 excubat ante fores. Christi si jusserit ales,
 381 pandent ferratae stridentia robora portae.
 382 Altera candenti radiat pretiosa metallo.
 383 Hanc Jovis aeterni custodit pervigil ales.
 384 Sacra fames auri et rerum scelerata cupido
 385 hic luitur, nec turba loco est numerosior ista.
 386 Jam mea bis centum purgata est noxa per annos :
 387 impia tam longas meruerunt crimina poenas.
 388 Nam vix extremae moriens in tempore vitae
 389 deposui hanc auri labem. Theodoctus, ad aures
 390 pervenit si forte tuas, mihi nomen, et olim
 391 Adriaci regina sinus sedesque Gothorum
 392 me genuit tectis ornata Ravenna superbis.
 393 Cum Veneti in mediis posuere paludibus urbem."
 394 Nec plura effatus, volucres discessit in auras.
 395 Insonuit variis ictus concentibus aer ;
 396 cantabant : "Miserere, Deus, miserere precantum !
 397 Justa quidem patimur ; quin et pejora meremur ;
 398 at tu purgatos nos his tamen eripe flammis !"
 399 Tunc vates Carlusque simul capita aspera montis
 400 dextrorsum superant altaque sub ilice sidunt.
 401 Hinc sentes, hinc frigus erat glaciesque perennis
 402 et nebulae tristes, sine lumine turbidus aer.
 403 Haud secus aeternis dicunt torpere procellis
 404 Rhiphaeos gelidasque Alpes Hermumque nivalem.
 405 Illic horridulas vidit Pipinius umbras
 406 pube tenus mersas glaciali horrere rigore.
 407 Concretis labris verba imperfecta canebant.
 408 "His", inquit, "livor purgatur", virgo, "pruinis.
 409 Aspice tres illos caeca in caligine ! Nosces
 410 non de plebe duces, sed regum ex stirpe creatos.
 411 Obscura egregiae rutilant per nubila frontes.
 412 Hos prior alloquere et dicta deposce salute
 413 nomina, qua geniti patria, quae crimina purgent !"
 414 Nec mora fit, raptu surgens de fronte galero
 415 Belgarum rector dat dextram et talia fatur :
 416 "Praestantes virtute animae, quis gloria caeli
 417 jam jam debetur, vestrum mihi pandite nomen !
 418 Quod luitis crimen, quibus huc venistis ab oris ?
 419 Non haec plebeias majestas regia frontes
 420 arguit. Hoc mecum paulum requiescite saxo !"

421 Tunc una arridens, "Nullum est hic sanguinis", inquit,
 422 ddiscrimen, sed divitibus mors aequat egenos.
 423 Inter purpureos pauper sedet umbra tyrannos.
 424 Rex unus Deus est, caeli terraeque creator,
 425 nos alii servi et sola virtute beati.
 426 Fert animus postquam istorum cognoscere nomen,
 427 ostendam, cur his una purgamur in oris
 428 invidiaeque damus poenas. Belisarius hic est ;
 429 hic autem Narses ; ego Justiniana Sophia.
 430 Debellare Gothos poterant, nisi livor utrumque
 431 et me transversam stimulis agitasset amaris."
 432 Protinus excepit Narses : "Heu, quanta malorum
 433 causa fuit livor ! Scelus exitiale peregi :
 434 post Geticas clades Latiumque a morte receptum
 435 Oenotriam vacuum Lombardo invadere suasi.
 436 Et quoniam adversis contraria crimina poenis
 437 purgantur, simul hic junctae cruciamur amore
 438 concordisque sumus. Quia nos sejunxit Erinnys
 439 in vita, sera vix nos in morte recepit
 440 verus amor." Nec plura loquens in nubila fugit.
 441 Vidit ut egregiam princeps Mavortius umbram
 442 in glacie sese spectantem lumine fixo,
 443 "Hic Stilicon", Titanis ait, "non parva Gothorum
 444 qui clades fuit. Invidiae nunc crimina purgat."
 445 Ostenditque aliam turbam glacialibus undis
 446 Davidicos gelido recinentem in flumine psalmos.
 447 Inde ubi livoris concretam frigore vallem
 448 arvaque perpetuis numquam viduata pruinis
 449 Martius alifera ductor cum vate peregit,
 450 spiniferam silvam taboque fluentia saxa
 451 ingreditur. Virgo, qua lucet semita rara,
 452 antevolat virgulta metens aperitque recessus.
 453 Dum frangit silvam, gemitus et verba precantum
 454 audit et e truncis atrum manare cruorem
 455 cernit inops animi. Tum vox e vimine fracto
 456 audita est : "Miserere mei gladiumque reconde !
 457 Quid cumulas, ignare, meos nunc ense dolores ?
 458 Sat luimus poenas, quas lex divina rependit.
 459 Sed merui : iratus puerili in tempore caris
 460 fratribus informi truncavi vulnere nares.
 461 Bysanthi princeps fueram. Nunc umbra sub istis
 462 purgatur dumis." Haec dicens sanguine foeda
 463 conticuit. Carlo stetit horrens frigore vertex.
 464 Ast ubi concussum solvit formidine pectus,
 465 "Constantine," inquit, "te non hic esse putabam !
 466 Sed parcam posthac dumos disrumpere ferro."
 467 Dixit et in densos torsit vestigia sentes
 468 innocua et nitidum vaginae reddidit ensem.
 469 Et tamquam cineres defunctique ossa parentis
 470 calcet, sic levibus plantis dumeta pererrat.
 471 Attamen ille unam sensit post terga gementem
 472 saepeque clamantem, Lombardi an sanguinis ultor
 473 impresso urgeret Rosimundae pectora calce.
 474 "Immo," ait, "hanc stirpem penitus delere paravi,
 475 ulciscarque tui crudelia vulnera patris."
 476 Tunc siluit truncus, sedataque cura doloris
 477 paulisper. Quid enim vindicta dulcius optat
 478 femina ? Magnanimus parcit frenatque furorem.

479 Inque alias rupes montisque asperrima saxa
 480 ascendit Carlus duce praemonstrante viarum
 481 securos aditus. Pariter sermone laborem
 482 sublevat. Elysios campos ostendit adesse
 483 non procul. "Hunc vestri limbum cognomine dicunt.
 484 Purgandis animis locus est hic ultima meta.
 485 Hic volucris segnis purgatur inertia cursu.
 486 Aspice, ut incurvis humeris sub pondere plumbi
 487 turba petat currens montem requiesque negetur,
 488 segnities donec timidaeque ignavia vitae
 489 mundetur ! Septemque annos expenditur unum
 490 crimen, ni precibus spirantum poena levetur."
 491 At Carlus, quamquam per saxa minantia caelo
 492 accelerat pernix studio fallente laborem,
 493 obliquis tamen ille oculis et poplite flexo,
 494 curvorum inspexit, si quem dignoscere posset.
 495 Tunc una, ut solido Phoebae lampada vidit
 496 corpore perfractam crepitumque audivit euntis,
 497 obstupuit gressumque simul cum voce repressit.
 498 (Umbrarum tum forte choros ducebat ovantum
 499 in morem carmenque sacrum dabat ore canoro.)
 500 "O summo fruitura Deo, consiste parumper,
 501 umbra, precor", Titanis ait, "pondusque remitte !
 502 Ede tuum nomen, tutumque ad sidera callem
 503 huic digito ostendas, si vocis pondus iniquum
 504 intercludit iter ! Nam me duce tutus Avernum
 505 sulcavit Stygiosque lacus lacrimabilis Orci.
 506 Et nunc Elysios est ascensurus ad ortos.
 507 Mortale est, quod cernis. Adhuc est sanguis et ossa
 508 magnanimus Carlus, Francorum maximus heros."
 509 Ille ubi tam clari nomen memorabile regis
 510 accepit - nam tanta ducis penetrarat ad umbras
 511 gloria et aethereas etiam transcenderat arces - ,
 512 deposuit curvis humeris miserabile pondus.
 513 "Salve", inquit, "Christi dux invictissime, salve,
 514 immortale decus Belgarum, Carle, salusque !
 515 Parthenope genuit me, qui post fata Maronis
 516 accessi Romam, Musarum incensus amore,
 517 tempore quo dirus laceravit Claudius orbem.
 518 Fraternalis acies ac bella potentis Achillis
 519 cantavi, sed opus fato rapiente reliqui
 520 inceptum. Aetherei, forsitan mirabere, Christi
 521 ut potui numen cognoscere ? Carmina primum
 522 Euboicae vatis summo descendere caelo
 523 praecinuere Deum et casta de virgine nasci.
 524 Mox Petrus antistes atque ora sonantia Pauli
 525 Tarsensis venisse Deum dixere, fideque
 526 majora infidis miracula fecit uterque.
 527 Christicola optabam fieri, sed dira Neronis
 528 supplicia et poenas veritus perferre tremendas
 529 in seram mortem sacris conspergier undis
 530 tardavi, multos ex quo mora longa per annos
 531 eluitur. Sed vos longo sermone retardo !
 532 Hac iter Elysios tecum haud comes ire recuso,
 533 dummodo fata sinant. Tu, virgo, limina serves
 534 pro foribus vigilans, reditus ne forte negetur.
 535 Stat Phocion primo custos in limine portae
 536 terribilis nullasque preces tractabilis audit.

537 Nec non interior ferrata repagula servat
538 insomnis Curius surdasque orantibus aures
539 praebet, ni feriat postes Jovis angelus hasta.
540 Tentavi quotiens supplex, ut limina pandat,
541 ut semel egregias animas clarosque poetas
542 aspicerem ; surdus verbum non reddidit ullum.
543 Sed quid cessamus ? Quid frustra tempora perdo ?"
544 His simul antetulit pernix vestigia dictis.
545 Ferratae tandem perventum ad limina portae est.
546 Porticus ante fores rubris suffulta columnis
547 stabat, et annosae numquam cessura senectae
548 aurea cedrinis pendebant tecta tigillis.
549 Consedit Pario Celtarum in limite ductor.
550 Post ubi dicta salus, placido sic ore locutus :
551 "Optime Graiorum, Phocion, ut limina serves,
552 neu scelere infectos manes lustrare vireta
553 Elysiique sinas floralia cernere ruris,
554 pande fores nobis ! Non huc sine numine divum
555 venimus et poenas miserorum vidimus omnes.
556 Mox caeli scandenda via est. Si non mihi credis,
557 Astraeae credas, quam tu, dum vita manebat
558 pristina, Cecropia cum Pallade semper amasti."
559 Ille autem, "Vocem nequicquam effundis inanem !"
560 Dixit et avertit frontem paulumque recessit.
561 "Quid dubitatis", ait, "campos cernetis amoenos !"
562 Astraea, "huc veniet pernix Jovis ales ab alto.
563 Cum medium caeli Phaethontius ignis habebit,
564 tunc postes pandet stridentiaque aera revellet.
565 Interea fessi saxo sedeamus in isto.
566 Et tu respira, vates, et pone parumper
567 immensum pondus vultumque ad sidera tolle."
568 Sic effata ambos consessu hinc inde recepit
569 heroas. Sed perpetuo sub pondere vatem
570 curvarant humeri, caelum vix fronte supina
571 suspicere ut posset. Sed erat facundia tanta
572 vatis Apollinei, rabidas ut flectere tigres
573 posset et infernas cantu mulceret Erinnes,
574 Dum septem Argolicos reges Thebanaque bella
575 et placidas Silvas et Cadmi narrat Agavem
576 more Sophocleo, Latio dum tradit Homerum,
577 grandia suspenso recitat dum carmina regi.
578 Ecce, ingens fragor auditus de nube serena,
579 visaque siderei discindi janua caeli
580 divorum ostendit coetum sanctumque senatum,
581 lampadas innumeras - Phoebeaque numina mille
582 emicuisse putes. Divinae at janitor arcis
583 robora ferratis trabibus stridentia clausit.
584 Attonitis stupuere animis juvenemque volantem
585 ingenti nitidum videre per aethera motu.
586 In dextra ensis erat candens, vultusque rubebat,
587 Punicea aptarat levibus talaria plantis,
588 pendebant pharetrae, resonabat et aureus arcus,
589 post humeros moto crepitabant bractea vento.
590 Et subito ex alto, "Vectes postesque revelle,"
591 increpuit, "Phocion ! Quid enim remorare volentes
592 Elysium lustrare nemus vallemque piorum ?
593 Non decet hos tantum frustra sumpsisse laborem !
594 Non sine divino huc usque est numine ventum.

595 Ingredere, o virgo, campos et amoena virecta
 596 ostende egregiosque viros, quis mysticus humor
 597 defuit et verum non cognovere Tonantem !
 598 Interea paucis a me lustrabitur horis
 599 undique mons totus, ne centro elapsus ab imo
 600 antiquus serpens vetitas prorumpat in artes."
 601 Dixit et auratis discedens aera pennis
 602 impulit, in tergo leves sonuere pharetrae.
 603 Nec mora, festinant et passus virginis aequant
 604 Pierius vates et Rheni Martius heros.
 605 Transcendunt primum nativi fornicis antrum,
 606 unde per auratos crystallinus humor hiatus
 607 marmoreum in fontem jocundo murmure manat.
 608 Nec longe a dextra herbosa sub valle recessus
 609 panditur, et vivo numerosa sedilia saxo
 610 in morem circi se molli in gramine tollunt.
 611 Quid tibi Paestanos hortos, quid Thessala Tempe,
 612 quid narrem ripas semper frondentis Orontis ?
 613 Ergo nec immerito caeli terraeque putarunt
 614 delicias mediumque locum posuere poetae.
 615 Vidit ut ingentem per prata virentia turbam
 616 Carlus et in variis ducentes artibus aevum,
 617 "Dic", ait, "o virgo : studium moresque prioris
 618 si vitae retinent animi, pereuntne paratae
 619 tam longo egregiae virtutes tempore mentis,
 620 aequet ut indoctis mors invidiosa Maronem
 621 et pariter nullo jaceant discrimine viles ?"
 622 "Dicam equidem", Titanis ait, "non omnibus idem
 623 post obitum casus, neque enim datur exitus idem.
 624 Quisquis ad aethereas sine crimine pervolat arces
 625 corporeis vinclis exemptus spiritus, omnes,
 626 quas didicit, secum virtutes portat. Hiaspis
 627 utque adamas auro inclusus, sic incola caeli
 628 inter honoratas sublimis fulgurat umbras,
 629 nec prisco studio nec moribus utitur iisdem,
 630 felices nam sola beat praesentia Christi.
 631 Qui semel intrarint Stygis irremeabilis undam,
 632 ingenii monumenta gerunt, centroque sub imo
 633 durat honos mentis. Sed majora poena superbos
 634 torquet et aeterno cruciatur spiritus igne,
 635 inque suas poenas mentis laceratur acumen.
 636 Impius amisso sic frendit daemon Olympo.
 637 Quos autem Elysiis campis et gramine cernis
 638 in viridi variis aevum traducere ludis,
 639 hi patrios servant mores vitaeque peractae
 640 securi rerum studio exercentur inani.
 641 Nunc age, carpe viam, et tumulo sistamus in illo,
 642 prominet undae omnis facilis despectus in oras !"
 643 Dixit et in vernum torsit vestigia collem.
 644 Accelerant ambo, mollisque cacumine clivi
 645 considunt mediamque tenent - hinc Belgicus heros,
 646 Statius hinc - auresque levant ad virginis ora.
 647 "Quamvis nulla domus lucis statuatur in istis",
 648 incipit Astraeta, "et passim, ut fert quemque voluptas,
 649 erret in irriguis coetus venerabilis hortis,
 650 saepius a dextra tamen est Romana propago.
 651 Cerne togas niveas, spolium commune Quiritum.
 652 Ast alii diversa tenent loca : cerne Pelasgos,

653 Palliolo implicitos. Palmam qui subter opacam
654 brachia connexi junctis nunc passibus errant,
655 belligeri ambo duces Cadmi de stirpe fuerunt,
656 nec fors tam claris se Graecia jactat alumnis.
657 Aspice Miltiadem, nec longe est Codrus et ille,
658 quem timuit Xerxes, qui cinxit Nerea ponte,
659 qui sulcavit Athon diviso monte carinis.
660 Cui caput et facies saevi est truculenta leonis,
661 eloquio insignis fuit et praestantior armis.
662 Ille autem "Justi" meruit cognomen habere.
663 Non multo inferior Cimon hic virtute Luculli.
664 Hi sunt Spartani reges, primusque Lycurgus
665 eminent, egregiam cinxit qui legibus urbem.
666 Hic est Timoleon, decus immortale Corinthi.
667 Aspice Memphiticum meditantem sidera regem.
668 Ille horas Siculis flava monstravit arena.
669 Qui pronus virga gyros in pulvere signat,
670 Archyta est, curis Dion intentus eisdem.
671 Ast te jamdudum figentem lumina cerno
672 in dextram. Aeneadas claros sanctumque senatum
673 ostendam, victus quorum virtutibus orbis
674 paruit imperio : sex hi diademate vincti
675 aeternae reges posuerunt moenia Romae.
676 Vidisti lacerum Tarquinum mole sub alta
677 Tartarei centri poenas tolerare gigantum.
678 Aspice Publicolam, celsas qui diruit arces,
679 ut placeat populo, populi cognomen adeptus.
680 Fabricium incomptum, Pyrrhi qui munus et aurum
681 Samnitum sprexit, tenui vilique lacerna
682 respice cum Curio de paupertate loquentem !
683 Hic est Valerius, qui nigri insignia corvi
684 in cono gestat, laudis munimenta perennis.
685 Ille sacer coetus, Fabiorum magna propago est
686 pro patria devota mori ; sed Maximus ille
687 cunctando Libycis Romam servavit ab armis.
688 Qui vibrat validam nodoso robore quercum,
689 Marcellus, clades Poeni Romanus et ensis
690 olim erat ; et fato raptus Crispinus eodem.
691 Oblitus et dextram Cossus stat caede Tolumni,
692 nec procul Attilius nulli virtute Quiritum
693 inferior monstrat laceros crudeliter artus.
694 En tibi Scipiadas claros, natumque patremque,
695 devicta aeternum tribuit quibus Africa nomen !
696 "Optimus" hic dictus populo et testante senatu.
697 Cum tota Felix spatiatur prole Metellus.
698 Cernis, ut innocuae serpant per tempora flammae,
699 spectet ut intrepidus fumantes Martius ignes ?
700 Quamquam cum Magno graditur per prata Lucullus,
701 attamen apparet de Ponti rege similtas.
702 Quid tibi Torquatos monstrem magnosque Camillos,
703 quique pedum volucris superabat flamina cursu ?
704 Longa mora est monstrare omnes, urgetque morantes
705 nec reditura dies, concessaque labitur hora.
706 Percursoque aderit pernix Jovis ales Averno.
707 Stadius egregios jam jam lustrare poetas
708 optat, et ingenio claras qui repperit artes."
709 Dixit et antetulit per prata virentia passum.
710 Silva fuit myrto et viridi densissima lauro,

711 qualis Apollineis statio gratissima Musis
 712 dicitur Emathiae circum Peneia Tempe.
 713 Illic purpureis praecinctos crura cothurnis
 714 aspiciunt vates. Ante omnes major Homerus
 715 emicat, hunc aliis longe post terga relictis
 716 aequat Virgilius, primo nec cedit honori,
 717 ut dubitent, primae cui dentur praemia laudis.
 718 Aoniosque novem Lyricos videre canentes
 719 sub viridi platano, quorum, quae proxima primo est,
 720 femina mellifluo pulsabat pectine cordas.
 721 Hos autem septem, qui sic glomerantur in uno,
 722 Pleiades ut caeli claros Philadelphus amavit.
 723 Hi tragicum horrendo scripserunt carmen hiatu,
 724 per terram longo retrahunt qui syrmate vestes.
 725 Qui myrteta colunt Romano more togati,
 726 mollia lascivi lusere Cupidinis arma.
 727 Naso inter primos, nec cedit Nauta Tibullo.
 728 Sed Latiis elegis jam cessit Graecia victa,
 729 Callimachus quamquam graviter Mimnermus et ipse
 730 perferat et Coum doleat cessisse Latinis.
 731 Romanae Varro linguae doctissimus illae est.
 732 Plinius hic major, Veronae fama perennis,
 733 facundusque nepos arguti Plinius oris.
 734 Cum Seneca Lucanus erat dirique Neronis
 735 effera narrabat scelera et tormenta tyranni.
 736 Contra laetus opes et grandia munera Flaccus,
 737 quae sibi Maecenas dederat, referebat, ut omnes
 738 divitiis claros erexit ad aethera vates.
 739 Contemptoque foro Musarum raptus amore
 740 horrida terribilis cecinit Carthaginis arma
 741 Silius et Poenum tandem cessisse Quirino.
 742 Et cum Cornuto per silvam Persius ibat,
 743 et cum Lucilio vates tendebat Aquinas.
 744 Thucydidem Herodotus, prope Crispum Livius ibat :
 745 hi Graio, nostroque isti sermone loquentes.
 746 Parte alia nemoris crocea cum veste sacerdos
 747 Odrysius carae laetales conjugis ictus
 748 deflebat jungens cum voce loquentia fila,
 749 impia quis quondam deflexit Tartara, sed non
 750 immitum potuit Ciconum sedare furorem.
 751 Niliacae hunc juxta Cyllenius accola Memphis
 752 ante omnes summo exstabat venerandus honore.
 753 Iste rudes docuit populos et more ferino
 754 dispersos antris primus collegit in urbem
 755 arvaque discrevit fluviali condita limo.
 756 Sidera fixa polo, quae sint errantia, primus
 757 ostendit mensisque dies ad tempora lunae
 758 solis et ad cursum bis senis mensibus annum
 759 digessit dixitque animos post fata perennes.
 760 Nec procul Isis erat, Pharios quae prima colonos
 761 invento docuit tellurem invertere aratro
 762 mutare et loton canis ostendit aristis.
 763 "Quis globus ille virum est ? Quanta gravitate verendus !
 764 Quod specimen rarae virtutis lucet in illis ?
 765 Dic artes moresque virum, dic nomina vatium !"
 766 "Hi norunt", dixit, "rerum", Titania, "causas.
 767 Non ergo immerito magnum admirere Platona,
 768 qui latis humeris longe supereminet omnes.

769 Proximus huic haeret Stagire doctus alumnus.
 770 Tertius intrepido gelidam bibit ore cicutam.
 771 Respice cum Coe Galenum plura loquentem !
 772 Quos tu disparibus per lucum passibus ire
 773 cernis et alterne tam grandia verba sonantes,
 774 anterior Cicero est, Romanae gloria linguae,
 775 cui cedunt omnes. Qui vero proximus haeret,
 776 Atticus orator, quocumque volebat, Athenas
 777 flexit, et abrupto plenus volat obice torrens.
 778 Rhetor ab Hispano est hic Quintilianus Ibero,
 779 nunc quoque jocundos placido docet ore colores.
 780 En hic Macrobius Graius, sermone Latino
 781 dum laudat, docti carpit monumenta Maronis.
 782 Hic est Caesaridum historiae non futilis auctor
 783 Tranquillus. Terso nec longe Gellius ore
 784 disserit attentam suspendens voce coronam.
 785 Eia age, curriculum mediae jam noctis abactae
 786 alitis adventu concusso cardine valvae
 787 aeratae sonuere, volat Jovis ecce per auras
 788 nuntius et magni defert mandata Tonantis !
 789 Jam remeo", Titanis ait, "prope plaustra Boete
 790 ascendoque tronos sublimis cardinis, unde
 791 ad te perveni tenues delapsa per auras."

VIII

C_8 v.1 Sidereas postquam ad sedes Astrea recessit
 2 celsaque sublimis stetit alto in cardine mundi,
 3 staturus et volucris vento similisque sagittae
 4 redditus est Erebo, ut labes purgetur ab igne,
 5 restitit incertus salebroso in vertice ductor
 6 Francorum, quo vertat iter. Tamen undique lustrat,
 7 siqua per occultos rarescat semita calles,
 8 trita nec humanis cernit vestigia plantis.
 9 Mons erat aethereus, tum silva incidua multis
 10 horrebat saeculis, vastosque ad sidera ramos
 11 inque vicem nexos cum quercu erexerat ornus.
 12 Prospectum caeli densa praecluserat umbra.
 13 Haud secus hiberni condunt ubi sidera nimbi,
 14 quem fax deseruit, picea stat nocte viator
 15 anxius exspectatque diem lucemque morantem.
 16 Haec tandem sedit potior sententia Carlo :
 17 dextrorsum superare jugum durumque laborem
 18 vincere. Nec forti fiducia pectore cessit,
 19 spemque hausit certam promisso munere divae.
 20 Ergo iter accelerat. Veluti per plana feratur
 21 aequora, terribiles cautes caeloque minantes
 22 exsuperat moles et recto tramite fertur.
 23 Flammea jam vallis sub cornibus obvia lunae
 24 interceptit iter coeptum. Paulumque moratus
 25 rex faciem vitrei aspersione fontis.
 26 Inde per ardentes illaesus devolat ignes.
 27 Jamque ascendendo rapidos aequaverat orbis

28 pernicious lunae. Surdas percusserat aures
 29 ferrati stridor currus bigaeque sonantis.
 30 Aerea commorant caeli convexa globosi.
 31 Non majore ruit strepitu de rupibus altis
 32 integer Aethiopum Nilus, quibus accola bombis
 33 obstupet ; haud aliter Francorum maximus heros
 34 horruit immenso volucrum stridore rotarum.
 35 Mox summo pendens respexit ab aethere terram
 36 nec cernit quicquam tenebrosum praeter inane.
 37 Obluerat terram pontus stagnantibus undis,
 38 Nereaque ingenti velamine texerat aer,
 39 ardebatque super flammis lucentibus aether.
 40 Et quamvis oculos vallem defigat in imam,
 41 non tamen ille potest lapidosi verticis arces
 42 cernere : caligant immensi lumina mundi.
 43 Perstat in incepto tamen exsuperatque laborem.
 44 Haud ignarus erat, quanto discrimine caelum
 45 ascendat, posuit quae verae obstacula laudi
 46 Jupiter. Ergo viam accelerat lunaque relicta
 47 Mercurii rapidis transcendit passibus ignem.
 48 Protinus ingreditur clarum Cythereidos astrum,
 49 luciferis illic renitet Venus aurea bigis
 50 et tremulo fulgore comae caelum omne serenat.
 51 At quamquam stupidis Carlus loca singula lustrat
 52 luminibus, praecepta Dei tamen ille facessit.
 53 Verum, ubi Phoebeum vicinior attigit astrum,
 54 mortalis tanta defecit lampade visus,
 55 namque illustre caput solis flammaeque comarum
 56 irradiant terram et vasto dant lumina mundo.
 57 In faciem pronus cecidit nec ferre calentes
 58 flammaram radios potuit lucemque coruscantem.
 59 Ceu Petrus et gemini fratres in vertice montis
 60 percussi insolito Christi cecidere nitore,
 61 sic Carlus prostratus erat. Tunc gemmifer ales
 62 percussit tenuem crepitantibus aethera pennis ;
 63 jussa Dei magni summis referebat ab astris.
 64 Dejectum attollens regem dextraque prehensum
 65 increpuit : "Quidnam dubitas ? Quis territat hostis ?
 66 Maxime Francorum ductor, virtute paratur
 67 gloria ! Pone metum ! Patuit tibi regia Ditis,
 68 quam licet atra palus ferventibus ambiat undis
 69 et sint de duro crassissima moenia ferro,
 70 omnia monstra tamen superasti victor Averni.
 71 Elysios campos et purgamenta piorum
 72 lustrasti. Nunc difficilis via restat ad astra.
 73 Me sequere, ut videas summi miracula caeli."
 74 Dixit et obscura detersit lumina nocte
 75 regis et aspersit caelesti nectare corpus,
 76 ne jubar aestiferi currus flammaeque propinqua
 77 exurant faciem, ne monstra errantia caelo
 78 terrificent, ne forte ruat formidine praecipuus.
 79 Ecce rubens Erytheus et flammeus Aethon adustis
 80 crinibus erumpunt reserato carcere aeni
 81 obicibus et saevis tundunt hinnitibus auras
 82 flammiferosque atris efflant de naribus ignes.
 83 Quod nisi frenaret praegrandibus ora catenis
 84 aurea Titoni conjunx virgisque minisque
 85 cogeret indociles luctantia subdere colla,

86 quippe supinatas rupto temone quadrigas
87 per caelum raperent nostroque propinquius orbi
88 insolitum per iter vomerent incendia terrae.
89 Hunc super Odrysius rubicundo sidere Mavors
90 errat et insanis mortalia pectora bellis
91 concutit, Idaeo placidus quem Jupiter astro
92 temperat et curvi mollit quoque sideris iram.
93 Jam septem errantes caeli transcenderat orbis
94 magnanimus Carlus steteratque in vertice mundi.
95 Inde nec astriferi suprema ad culmina caeli
96 restat iter longum, niveo sed tramite praiceps
97 est via. Vix ipsis est clivus pervius umbris,
98 per quem jussa ferens caelestis permeat ales.
99 At propius nitido postquam miracula caelo
100 sparsa videt variisque errare animantia formis,
101 quot pontus, quot terra tulit, conterritus heros
102 constitit aspectans. Tum crebra lampade totum
103 collucere polum fumantemque aethera cernit
104 ardentisque faces : vasto vomere ore Draconem,
105 horrida cum flammis minitantem bella Leonem
106 Centaurumque videt flagranti tela pharetra
107 ignea prominentem. Nec non crystallinus alti
108 ingenti sonitu Fornix reboabat Olympi,
109 Salmonis veluti stridebat ferreus axis,
110 cum celso demens torqueret fulmina ponte.
111 Tunc dux aethereus regem sudore madentem
112 defessumque via et stupidum novitate ferarum
113 corripit et caeli sublimem portat in arcem.
114 Tunc voce et digitis astrorum nomina signat :
115 "Quae radiat septem flammis prope cardinis axem
116 haeret et aeternum caelo praefixa sereno
117 stella nec occiduas subit irrequieta lacunas,
118 hac duce tendit iter temerarius hospes in undis.
119 Fulget et Artophylax parvam conversus in Arcton,
120 quam sequitur navis tumido Sidonia ponto.
121 Inter utrumque polum procero corpore Serpens
122 porrectus totum complet formidine caelum.
123 Cerne, novem ut fulget donum mirabile gemmis !
124 Gnosidos hanc Grai vates dixere Coronam,
125 quam multo Aetnaeus fecit sudore Pyracmon.
126 Ter denis pandit fulgentia tergora flammis
127 Scorpius, et geminas inter Chelyppius aedes
128 panditur et tumidis exterritat aethera chelys.
129 Ille tamen clarus ter sena lampade fulget."
130 Nec procul Erigone Spicas canentis aristae
131 cerneret aetherei residens in culmine caeli,
132 insignemque novem facibus cum Castore fratrem
133 monstrat et alternas sedes mutare vicissim.
134 Quam felix, quam grata Deo concordia fratrum est !
135 Hostiaque obsceni caelo est affixa Priapi
136 octipedis juxta flagrantia sidera Cancri.
137 Vidit et Herculei radiantia terga Leonis.
138 Cauda micat septem Berenicis crinibus astris.
139 Tu licet aequoreis esses projectus in undis
140 insidiis Pelopis, tamen inter sidera fulges,
141 nunc pedibus Taurum, nunc Arcton vertice tangis.
142 Nec procul Andromede pater est mediusque videtur
143

144 lampade bis nona, conjuxque elata supino
145 corpore bis septem faculis micat. Aurea lucent
146 igniferis gemmis Phrixei vellera monstri.
147 Parte alia Perseus desecto Gorgona collo
148 devehit et multis fulgent sua tempora flammis.
149 Pleiades astrifero radiant Atlantide cretae
150 et, cum sint septem, sex ornant aethera gemmis.
151 Ipsa novem fulget Cyllenia Barbitos astris.
152 Qui superum mensis effundit Aquarius imbres,
153 ter senis rutilans flammis illustrat Olympum.
154 Oceanique nepos telis metuendus acutis
155 insequitur volucris per caelum animantia cursu,
156 sed tamen iratae vitat fera monstra Dianae.
157 At nive candidior pluma canente sonoris
158 sidereos Cygnus demulcet cantibus amnes,
159 qualis Pactoli juxta flaventis arenas
160 deplorat querulis instantia funera rhythmis.
161 Quique suis humeris portavit Ariona, Delphin
162 pro squamis rutilas stellas in pectore gestat
163 junctaque Sidonii sequitur vestigia Tauri.
164 Icariusque Canis torrens conversus in astrum
165 et Leporem et turpem cursu praetervolat Ursam.
166 Quaeque prius rudibus sulcavit Nerea velis
167 navis inexperti contemnens murmura ponti,
168 candida sidereos inter nunc emicat ignes.
169 Nec procul Eridanus nitidis interfluit undis,
170 Italiae Eridanus longe notissimus amnis
171 nunc Jovis imperio volucris secat aethera cursu.
172 Sirius et Piscis bis seno fulgure clarus
173 combibit aetheream, quam fundit Aquarius, urnam.
174 Parte alia magno quatiens virgulta fragore
175 Philyrides quadrupes volitat, sonat ungula caelo
176 ferrea percusso, scintillat fulgidus aether.
177 Et niger australes Corvus volitabat ad oras
178 et vacuum Clario tandem Cratera ferebat
179 nec cessit rostro caudam terebrare Colubri,
180 claraque pro nigris sunt illi sidera pennis.
181 Multaque praeterea rutilantia monstra videbat
182 sparsa per astriferum caelum. Quae maximus heros
183 dum stupet admirans oculosque ad singula flectit,
184 "Quid, si magnanimi aspiceres loca celsa Tonantis
185 oraque Phoebeos radios hebetantia divum!"
186 Increpuit Seraphin, "Cessas, dux inclyte, cessas.
187 Nunc praeceps clivus, nunc est crystallinus orbis
188 calcandus. Cunctos opus est superare labores!"
189 Dixit et alifero vexit super aethera dorso
190 sopitum mira caeli dulcedine regem.
191 Usque adeo volucrum suavis vertigo rotarum
192 et celerum concors resonat compago polorum,
193 ut raucas Musas Phoebeaque carmina damnes.
194 Jam nitidi immensum spatium Jovis ales Olympi
195 calcabat pedibus, tunc regem in mollibus herbis
196 leniter exposuit multoque sopore gravatum
197 defessumque via paulum requiescere sivit.
198 Excubat et juxta Seraphin Carlumque tuetur
199 pervigil, et numquam capiunt sua lumina somnum.
200 Ipse licet quondam centena lampade jactet
201 Inachiam servasse bovem Junonius Argus,

202 sunt tamen huic plures : Phoebai luminis instar
 203 tergeminos oculos caeli fert nuntius alis.
 204 Quotque gerit pennas, totidem sibi lumina surgunt.
 205 Interea horrendo strepitu domus alta Tonantis
 206 panditur empyrium solium regale coruscans.
 207 Ignea mox portis moles erupit apertis,
 208 flagrantisque rotae caelo rutilare sereno
 209 sunt visae. Volucris cecidit perniciosior Euro
 210 temo ardens, sonuit concussus pondere magno
 211 cristalli fornix, tremuitque exterritus heros,
 212 excussusque metu sopor est. Flammasque repellit
 213 nequicquamque suis abigit de frontibus ignes
 214 innocuos. Forsan cecidisset ab aethere praeceps,
 215 ni dux sidereus firmasset pectore robur
 216 apprensaque manu sublime in curribus altis
 217 constituit. Vectique ambo per inane feruntur
 218 aetheris ardentis spatium, nihil ocuis illis,
 219 ceu quondam Heliam Carmeli e vertice raptum
 220 substulit in caelum demissus caelitus ignis.
 221 Qualis sanguineis Mavors circumdatus armis
 222 alatis horrendus equis Maeotidos undas
 223 pervolat et Scythicas populatur caedibus urbes,
 224 talis flammifero curru Pipinius heros
 225 labitur Empyreii ad sedes soliumque Tonantis.
 226 Luciferos apices vix attigit igneus axis,
 227 spumea cum Seraphin compescuit ora volucrum,
 228 constitit aurato flagrans emblemate currus.
 229 Est ingens campus supremi in culmine caeli,
 230 et micat aequalis nativis area gemmis,
 231 immensique capax spatii, nec machina mundi
 232 totius pars dena foret, nusquamque movetur,
 233 sed stans expassis mundum complectitur ulnis.
 234 In medio locus est tumulo paulo altior aequo,
 235 planitiem dices clivo fallente cacumen,
 236 sic mollis spatiiis extremis area surgit.
 237 Illic aeterni sublimis regia Christi
 238 cernitur, et quanto tellure est altior aether
 239 sidereus, tanto tollunt super astra cacumen
 240 aurea tecta Dei. Casulam Babylona putares,
 241 tot tantasque capit sedes numerosque beatum.
 242 Gemmaeque innumeris solido ex adamante columnis
 243 eminent ante fores spatiosus porticus alis,
 244 vestibulum, quo saepe solent, cum mane salutant
 245 caelicolae divum regem circumque morantur
 246 oclusam portam, alterno sermone vagari.
 247 Aurea testudo miris celata figuris
 248 exstabat. Phidias cedat, Polycletus et ipsa
 249 artificii natura ! Loqui et spirare putabis
 250 marmora, tum vultu varias ostendere curas.
 251 Nec mirum, astriferi divinus sculptor Olympi,
 252 archetypum ex nihilo verbo qui pinxerit orbem,
 253 caelestes majore domos si fecerit arte.
 254 Quippe triumphalis gemmis distinctus et auro
 255 arcus erat, quo sex fuerant monumenta dierum
 256 auratis incisa notis spirantia signa.
 257 Et prima a laeva, qua magnae limina portae
 258 ex adamante basis contingit gemmae, divum
 259 effinxit simulacra Deus Seraphinque Thronosque

260 angelicamque manum pennis telisque coruscam,
 261 utque novem summum circumstent agmina regem.
 262 Luciferum ante omnes miro fulgore creavit ;
 263 liminis at fastum, virus commune, superbi
 264 post regem solio puduit residere secundo,
 265 impiaque adversus molitus bella Tonantem
 266 compulit astuta sceleratam fraude cohortem
 267 in tantum jurare nefas sociamque tyranni
 268 affore et aethereis regem detrudere regnis.
 269 At Deus omnipotens justa commotus ab ira
 270 disruptit fregitque acies caeloque rebelles
 271 fulminibus similes manes detrusit ad imos.
 272 Qualis erat facies celsa de sede cadentum,
 273 manserunt, prisci vestigia nulla decoris.
 274 In medio summi radiabant fornicis arcu
 275 astra, serenato perlucent qualia caelo ;
 276 quippe idem genitor, qui fecit cetera, pinxit.
 277 A leva curvae effinxit testudinis Adam
 278 e limo sociamque tori primordia nostri
 279 seminis e duro dilecti conjugis osse
 280 composuit vivamque animam inspiravit in illos.
 281 Ambo immortales, ambo sine crimine creti,
 282 insignes animis, praestanti corpore primae
 283 flore juventutis, Paradisi in gramine laeti
 284 ducebant magnos aeterna in pace triumphos.
 285 Ecce atrox hostis, superis dejectus ab oris,
 286 invidia tumuit. Faciem vultumque puellae
 287 induit et nigrae squamosa volumina caudae
 288 pone trahens sensim viridi occultavit in herba.
 289 Arridens se ultro blandis cum vocibus offert :
 290 "Felices nimium, quibus est data copia caeli
 291 ambrosiisque frui juxtaque recumbere divos
 292 concessum ! Cur non legitis tam dulcia poma ?
 293 Ne vos aeternae mortis pavor urgeat. Immo
 294 aequa Deo vobis dabitur sapientia rerum
 295 nectare gustato, et divum tribuentur honores."
 296 Dixit et audacter decerpit ab arbore ficum,
 297 quem dubiae primum porrexit perfidus Evae.
 298 Tradidit illa viro. Post crimen jussit utrumque
 299 Rex superum irriguis Paradisi excedere plantis,
 300 ut duris alter terram exerceret aratris,
 301 quaereret assiduo sibi vix alimenta labore,
 302 altera sollicitis operiret corpora pensis.
 303 Non frigus, non morbus erat, non imber et aestus,
 304 in genus humanum Lachesis nil juris habebat,
 305 sponte dabat tellus fruges et flumina nectar,
 306 aeternoque aurae spirabant vere tepentes.
 307 Heu, quantum generi primi nocuere parentes
 308 humano, serique luunt errata nepotes !
 309 Per vos pallentes morbi tristisque senectus
 310 Pandora de vase ruunt, et falce minaci
 311 omnia Mors truncat, nato nec parcitur ulli.
 312 Talia mirantem Jovis arguit impiger ales :
 313 "Quid frustra cessas, Francorum maxime rector ?
 314 Magnanimo nihil insolitum est. Spectacula non haec
 315 visurus tantos terra caeloque labores
 316 venisti patiens : scrutanda sacraria divum.
 317 Rumpe moras primasque fores et claustra secunda

318 ingredere, et celeri perlustres omnia visu,
 319 dum curris, nec te crystallina tecta morentur
 320 pictaque tot variis pretiosa emblemata gemmis !"
 321 Dixit et antetulit gressum ; rex pone secutus
 322 custodem accelerat, suavis licet undique cantus
 323 auditur, qualem Penei ad fluminis undam
 324 aut circum irriguum fundunt Heliconae Camenae.
 325 Pervigil ante fores variis stat miles in armis
 326 et nutu causas venientum exposcit et intro
 327 ire sinit. Procul immeritos excludit agitque
 328 infestisque premit fugientia terga sagittis.
 329 Non ita Parthorum regem, quem vulgus adorat
 330 ut numen, firmo servant custode cohortes,
 331 di divina licet nostris componere rebus.
 332 Haud secus Aegypti fallaci errabilis arte
 333 stat moles caecosque dolos thalamosque latentes
 334 occultasque vias habet ambiguosque regressus,
 335 ut sit perplexis fallax ambagibus error,
 336 nec nisi protenso licet inde evadere lino.
 337 Tandem mille viis Jovis ad conclavia ventum est.
 338 Stabat candenti gladio pro limine torvus
 339 janitor increpuitque minax, ut vidit euntem.
 340 At Raphael pacem extenso denuntiat auro
 341 et jubet admitti Carlum. Nec plura moratus,
 342 cum summi mandata patris cognovit, apertis -
 343 protinus accepit valvis et fronte benigna
 344 ante Jovis solium submisso poplite Carlum
 345 dimisit. Sed enim radiatorum tanta reluxit
 346 flamma ex ore Dei, squamis ut lumina caecis
 347 obsita nil videant, ceciditque in limine pronus !
 348 Corruit ut Paulus sine luce ad sidera tractus,
 349 talis erat Carlus, talisque jacentis imago
 350 ante Jovis limen. Sed praesto gemmifer ales
 351 prostratum attollit dextra firmatque timentem :
 352 "Ne dubites," inquit, "Christi mysteria pandam.
 353 Orba geras quamvis caelesti lumina velo,
 354 acrius advertes et fixa mente notabis.
 355 Tam varias formas et mystica signa phalangis
 356 divinae impediunt oculi diversa tuentes.
 357 Posset ut occultas naturae inquirere causas,
 358 admoto lucem sibimet Democritus igne
 359 abstulit : haud homini fas est arcana videre
 360 caelestis patris et facies spectare micantis.
 361 Corrumpit tenues divina potentia sensus.
 362 Esto animo forti : reddentur lumina, cum te
 363 ter sacro abluerit caeli Charismate vates."
 364 Dixit et apprehensum pernicibus evehit alis :
 365 Pegaseo haud aliter dorso super aethera vectus
 366 Perseus expostam eripuit Cepheida monstris,
 367 sic fert sublimen Carlum per regia tecta.
 368 Siderei que docet Seraphin praetoria Christi
 369 esse novem, temo distinctas ordine turmas.
 370 "Oceani citius cunctas numerabis arenas
 371 undisonique maris fluctus, quam mente revolvat
 372 innumeram caeli gentem cunctosque manipulos.
 373 Stellato residet solio rex celsus et alto
 374 innixus sceptro caelum terramque gubernat.
 375 Grande supercilium quatit et gravitate verenda

376 aeterni seriem connexam digerit aevi.
 377 Inferiore throno virgo materque Tonantis
 378 caelicolis dat jura piis supplexque minantem
 379 pro miseris Christum semper mortalibus orat.
 380 Ni faciat, poenis annexa sequacibus essent
 381 crimina, perjuri luerent contagia culpae.
 382 A dextra laevaue volant utrimque phalanges
 383 alatae, primi Seraphis Cherubisque Thronique.
 384 Extremosque pedes velant et nube corusca
 385 ardentes celant facies, alaeque moventur
 386 tergeminae, resonat gemmis crepitantibus aer,
 387 concussoque auro reboant cristallina tecta.
 388 Semper agunt grates et Christo carmina dicunt.
 389 Observant nutum intenti plauduntque volantes.
 390 Non ita, si minimis regem aequiperare deorum
 391 fas et jura sinunt, circa praetoria densum
 392 agmen apum servat dilecti principis iram,
 393 atque alacres summi regis mandata facessunt.
 394 Alter et alterius porrectas clamat in aures ;
 395 inque vicem nullo tradunt livore docentes
 396 aeterni secreta Dei panduntque vicissim,
 397 Tertius ut quartum doceat, primusque secundum.
 398 Sic a supremo fas est descendere ad imum.
 399 His data prima fuit summae custodia sedis
 400 et spectare Deum nulloque interprete fungi,
 401 intima qui noscunt coram praecordia Christi.
 402 Inde Potestates et caeli mascula Virtus
 403 atque triumphales acies loca proxima celsis
 404 delegere choris. Et ab his oracula noscunt
 405 Angelicae turmae, caeli quis tertius ordo
 406 contigit. Ante istos, legio clipeata, dolones
 407 ardentes ocreasque gerunt ex aere nitentes.
 408 Ipse sacrosanctus flagrantem archangelus hastam
 409 vibrat et angelicae pandit mandata phalangi.
 410 Siqua autem ducibus summis referenda videntur,
 411 non jam delegat princeps mandata minori,
 412 sed Gabriel summusque alius de principe turma
 413 carpit iter celeri nectens talaria plantae.
 414 Angelus humanae defert oracula plebi
 415 aethereasque replet caelesti numine mentes,
 416 quas novit servire Deo, quae caelibe vita
 417 in terris degunt et ab omni crimine mundaе.
 418 Vae miserae gentes, ni custos angelus esset
 419 unicuique datus, cum sit contrarius hostis !
 420 Siderei volucres contorti fulminis instar
 421 discurrunt agiles et tranant nubila pennis,
 422 confestimque alti revolant ad sidera caeli.
 423 Pars ex electro virgas lituosque recurvos
 424 in radii morem gestant, quis aethera findunt ;
 425 pars validas vibrat solido ex adamante secures
 426 et volucris in sese motu gyroque corusco
 427 vertitur, ut rapidus turbo spirantibus Euris
 428 tollitur et paleae ad ventum panduntur inanes.
 429 Ceu currus pernix celeris vertigo rotatur,
 430 sic volat aeterni Jovis ales. Parsque lacenas
 431 Pontificum oblongas gerit, ille ardentia tura,
 432 - celsaque odoriferis redolent altaria donis,
 433 qualia Panchaeis nudato cortice silvis

434 cinnama et inciso spirant opobalsama ligno. -
 435 Est, qui porrectis claram fert lampada dextris :
 436 viderit hanc quisquis, Phoebeos dixerit ignes.
 437 Quadrata ast alii proceres carchesia portant
 438 caelesti ambrosia et spumanti nectare plena.
 439 Aureaque innocuis fulgent laquearia flammis.
 440 Non tot, quot spectant homines, flammantibus astris
 441 ardet apex caeli, radiat quot regia gemmis.
 442 Alternaeque chori psallunt, et voce canora
 443 hinc Tronus, hinc Seraphin Christique exercitus omnis
 444 ante Jovis magni fundunt subsellia laudes.
 445 Reginamque Deum, numen caeleste, canentes
 446 extollunt, utero meruit quae sola Tonantem
 447 deferre et puro lactavit sanguine Christum,
 448 unde salus nobis et honos et gloria venit :
 449 sidereum laudent caelestia numina regem,
 450 laudent astra Deum, laudet sol aureus et, quae
 451 noctivago gelidas humectat lumine terras,
 452 Luciferique jubar, tellus et pontus et aether
 453 dent laudes uno ore Deo, qui cuncta creavit
 454 ex nihilo, et digni Christo referantur honores,
 455 oraque cum factis celeri sint consona menti.
 456 Talia caelestes edebant carmina divi.
 457 Quid varias formas referam variosque colores
 458 caelicolum ? Non tot diversas terra figuras
 459 alituum pecorumque tulit, nec Doridos undis
 460 tot diversa natant variis animantia formis.
 461 Sunt, quibus est species viridis squamosa draconis.
 462 Hic aquilae pennis et rostro insignis adunco
 463 clangit et aetherae supra volat atria sedis.
 464 Sunt, quibus horrendi forma est truculenta leonis.
 465 Tigridis huic horror maculaeque in terga rubentes
 466 huic facies est torva bovis, sed mystica, nescis
 467 quidnam, portendant divinae monstra figurae.
 468 At Thronus et Seraphis rutilanti fulgurat igne ;
 469 virgineos vultus habet angelus oraque fulgent
 470 candidiora nive et roseo permixta rubore,
 471 qualis concha micat, fulvo quae includitur auro."
 472 Perque choros omnes sedesque ardentis Olympi
 473 egregium pietate duces portabat et illi
 474 ordine narrabat, quae fixa in mente gerebat.
 475 Explicat aeterni genus admirabile verbi :
 476 "Sit diversa Deo licet et persona triformis,
 477 atque illum vario mortales nomine dicant,
 478 unicus ille tamen Deus, unicus auctor et idem
 479 ingenitus supraque Chaon mundumque creatum
 480 aeternus nulloque loco nec limite saeptus,
 481 cuncta capit nullique capax ; movet omnia nusquam
 482 deflectens ; cernitque omnes nec cernitur ulli.
 483 Mens hominis primae rationem inquirere causae
 484 desinat et supra non tollat sidera vires.
 485 Tu citius poteris fluctus haurire marinos
 486 astraque mortali dextra convellere caelo,
 487 quam Jovis aeterni possis deprendere mentem.
 488 (Non omnes Paulus, non Zebedaeus heros -
 489 hi non narrandos Christi aspexere triumphos.)
 490 Alma fides caeli primas spirantibus arces
 491 pandet, lucidius quas mox post funera cernes."

492 Hac duce magnanimi potuit generosa propago
 493 Pipini cognosse Deum sedesque per altas
 494 tutus iter facere et superos spectare beatos.
 495 Dum simul alifero curru per inane vehuntur,
 496 mystica quaeque docet Raphael sacrasque lacenas
 497 candelabrumque facesque, oculos pennasque coruscas,
 498 Pontificale decus, triplicisque insigne coronae
 499 cur gerat antistes caelestis janitor aulae,
 500 candida quid Petri portendat et aurea clavis,
 501 ceteraque exponit summi miracula caeli.
 502 "O quantis fruerere bonis, quae gaudia mentem
 503 imbuerent", inquit, "coram si cernere Christum
 504 sprirituumque rotas oculis licuisset apertis,
 505 jam te mortalis coepissent taedia vitae.
 506 Sed cernes, cum te fatalis liquerit hora,
 507 cum repetes caelum post tempora longa senectae.
 508 Plurimaque aeternae jamjam miracula Sion
 509 aspicies, maneat Christi quae gloria justos,
 510 Cum sacer ex oculis squamas dejecerit humor."
 511 Dixit et ardentes dextrorsum auriga quadrigas
 512 vertit, et in gyrum deflectitur aureus axis.
 513 Forte dies solemnis erat, qua lampade virgo
 514 divina intumuit mansitque in virginis alvo,
 515 quem non immensi capit omnis machina mundi :
 516 haec erat ante alios toto celeberrima caelo.
 517 Praecipue aeternae cetus venerabilis urbis
 518 carminibus sacris summoque colebat honore.
 519 Quippe canebat, uti mundum regina labantem
 520 firmarit clausumque homini reserarit Olympum.
 521 "Virgo Deum peperit, concepit virgo, remansit
 522 post partum virgo, humanae spes unica prolis."
 523 Talia siderei celebrabant carmina cives.
 524 Certatim ad sacras celsae testudinis aedes.
 525 Plaudebat pia turba canens in vestibus albis,
 526 quas aurum textum et concharum pinxerat ordo.
 527 Editus in templo locus est, altare Latini
 528 dixere, ex auro solium sublime Mariae,
 529 quo sedet alifera superum comitata cohorte,
 530 visere siquando dignatur virgo minores.
 531 Solemnes hac forte die renovabat honores
 532 hinc plebs, hinc patrum signata fronte senatus.
 533 "Illuc tendamus. Flectam, rex inclyte, currum."
 534 Dux ait aethereus, "Turres atque alta domorum
 535 tectata procul video." Simul ora retorsit equorum.
 536 Confestimque sacrae pro muris constitit urbis,
 537 purior electro quam circum permeat amnis.
 538 Hunc olim veteres Grai dixere Charisma.
 539 Hanc Samaritanae Christus promiserat undam.
 540 Haec semel hausta sitim aeternum sedabit in aevum
 541 conjungitque Deo mentes morbosque repellit.
 542 Quisquis siderei gustarit pocula fontis,
 543 morte caret, redeunt vires et forma juventae.
 544 Haec licet Oceano longe profundior amnis
 545 ambiat immenso felicem gurgite Sion,
 546 spectatur tamen et fundum, spectantur et imis
 547 Nereides niveum ducentes vellus in antris :
 548 usque adeo fulgens vitreo nitet unda liquore.
 549 Aurea felices circumdant moenia cives ;

550 bis senae solido sublimi vertice portae
551 ex adamante rigent. Custodes arcibus adsunt
552 bis seni longequae arcent a moenibus hostem
553 pastores, urbique illos praefecit Olympi.
554 Sunt geminae claves, quarum est argentea prima,
555 qua primae venia solvuntur vincula culpae.
556 Altera, quae fulvo splendet pretiosa metallo,
557 perfectis animis limen caeleste recludit.
558 Hanc Petrus antistes, divinae janitor arcis,
559 quique gregi pastor succedit, servat eandem.
560 (Discite, mortales, quid celsa potentia summi
561 Pontificis reserare queat, quid claudere possit !
562 Romani in terra servate edicta tonantis ;
563 injustis quandoque licet vos urgeat armis
564 pro pastore lupus, sacrum diadema timete !
565 Inferni caelique potest aperire catenas
566 censurisque umbras saevoque innectere nodo,
567 unde procul raso tibi sint commercia clero.)
568 Vix erat ad portam ventum, vix aeneus axis
569 constiterat, vellit cum claustra morantia postes
570 obnixusque humeris stridenti cardine trudit
571 janitor accepitque manu dictaque salute
572 innuit aurigae sacrum percurrere vicum,
573 qui mediam auratis intersecat aedibus urbem.
574 Haec via de niveo constrata est marmore, qualis
575 est moles Pisis emblemate picta Joannis ;
576 tam lata, ut plures una traducere currus
577 possis nec tacti striderent axibus axes.
578 Non angiportus, non trames devius ullum
579 implicat errorem, semper quoque luce serena
580 atria caelicolum fulgent, auraeque salubres
581 ambrosias spirant, quales Panchaia felix
582 efflat vere novo, cum silvis thura liquescunt.
583 In medioque urbis campus florentibus herbis
584 ridet, et ingenti circumdatur undique circo
585 fons vivus, primum tollit caput unde Charisma.
586 Hic Jovis antistes indutus pelle cameli
587 emundat sacro divinos rore colonos
588 purpureaeque crucis signum admirabile fronti
589 imprimit, ut credas fulgentem ardere pyropum,
590 Phoebeique jubar radii splendere putetur ;
591 sic divum nitidis radiant sacra tempora gemmis,
592 non aliter caelo scintillant astra sereno.
593 Huc ubi siderei volucres egere volantes
594 quadrigas, hausere sacrum de fonte liquorem.
595 Ac demptis frenis Seraphin curruque remoto
596 aethereos dimisit equos in gramine laeto.
597 Atque haec deinde suo divino ex ore sacerdos
598 rettulit : "Armipotens ductor, Pipinia proles,
599 qui vehis aeterni victricia signa Tonantis,
600 ne dubites : jamjam sacris mundabere lymphis."
601 Haec dicens nudum fontis ter misit in unda
602 luminaque impositis digitis radiantia tersit.
603 Tunc squamae cecidere oculis, aciesque repente
604 fulsit et aetherei lucem miratur Olympi.
605 Attonitus tantis monstris et imagine rerum
606 ignarus partes oculos deflectit in omnes.
607 Ceu nondum lotus materno sanguine vagit

608 mentis inops infans, errantia lumina volvit,
609 sic majora fide cernit miracula Carlus.
610 Si mihi Pegaseos liceat pleno ore liquores
611 haurire, et totum pandant Heliconae Camenae,
612 centenisque mihi pater ora sonantia linguis
613 det Phoebus penitusque omnes in carmine vires
614 congerat, haud caeli possem narrare triumphos !
615 Quid caput Assyriae quondam Babylona, quid altas
616 Poenorum moles, excelsaque moenia Romae
617 nunc referam ? Dices merito magalia ! Dices
618 pauperis esse casas, caeli si videris arces !
619 Felices cives, tantam quis Jupiter urbem
620 concessit. Nec sollicitat lis ulla quietos,
621 Martia nec turbant tranquillam classica mentem.
622 Morborum procul omne genus, quin flore perenni
623 corpora terribili durant imperdita morti.
624 Huc animae electae post mille pericula migrant
625 ex omni coetu terrarum, ex omnibus oris.
626 Permixti cum plebe duces juvenesque senesque
627 convolitant. Solum meritis debentur honores,
628 mutuaque alterno charitas ardore revincit
629 caelicolas, nullusque ferit bona pectora livor.
630 Quisque sua vivit contentus sorte beatus
631 nec majora cupit - ceu plenis amphora labris,
632 sit minor haec aliis, nullas sitit amplius undas - ,
633 cordaque sidereo exsistunt conformia regi.
634 Quanta novo cernes agitari gaudia cive !
635 Certatimque fabri spatiosa palatia condunt
636 ex auro solido ; sedes sine fine beatas
637 ut meruit virtus, portas praebere patentis
638 Rex jubet, atque illi longe venit obvia turba
639 cum lauro et palmis et fronde virentis olivae.
640 Ipse triumphali curru gemmisque coruscis
641 insignis portam ingreditur comitante caterva
642 caelicolum. Reboatque sacris concentibus aer,
643 perque vias passim redolentia thura cremantur.
644 Non ita gavisa est depulso Dardana pubes
645 Hannibale, ejectis Poenis captoque Syphace,
646 Romanas aedes et cum Capitolia victor
647 aurato ingressus curru niveisque quadrigis
648 Scipiades celsa taurum mactavit in arce.
649 Ut procul aspexit magnum Pipinus alumnum,
650 credere vix audet, similis ne fallat imago.
651 Ut stupet interdum deceptus imagine somni,
652 vana videt quisquis variis simulacra figuris,
653 seque putat vigilem et falso sua gaudia credit,
654 conjugis ut carae, cujus jam condidit ossa,
655 aspexit notos vultus vocemque loquentis
656 audivisse putat, fruitur spe laetus inani,
657 haud secus aspectu primo sacer incola caeli
658 haerebat. Celeri mox Christi oracula mente
659 dum volvit, Carli radiantia lumina novit
660 et notam faciem et gressum cognovit euntis.
661 Nec mora fit, dat turba locum, dextraque prehensa
662 oscula dat nato roseoque haec exprimit ore :
663 "Nate, meis oculis et vita carior ipsa,
664 dum vixi, regni et nostrae spes una senectae !
665 Pertimui quotiens, hostili sanguine rorans

666 ne tu deficeres, nimiaque cupidine laudis
667 accensum ne saevus Arabs te fraude Thibaldus
668 exciperet, primus dum pulsos cuspide muros,
669 infestis a te Babylon dum cingitur armis,
670 dum redis et Libycis miles tuus errat arenis,
671 postremo Idaeo quam struxit in aequore cladem
672 victricesque aquilas humani sanguinis hostis
673 molitus caecis Aegaei infigere saxis.
674 Ne timeas auctore Deo discrimen adire,
675 quodcumque occurrit ; saevosque abolere tyrannos
676 ars erit ista tibi ; et justis des libera jura ;
677 Maumettique luem et virus quodcumque nefandum
678 evelles, Christo ut soli tribuantur honores.
679 Pontifices venerare sacros, haec cura, memento,
680 sit tibi praecipua, his numquam parere recuses.
681 Dum te fata sinunt caelum virtute parare,
682 extendas vitam factis, nomenque perenne
683 acquires Magni, victorique omnia cedent.
684 Quid, nisi certamen, vita est ? Sic itur ad astra.
685 Gloria te moveat, caligo obnubat inertes."
686 Dixit et amplectens natum per singula duxit
687 atriaque ostendit miro constructa decore
688 magnanimosque duces et nomina clara docebat :
689 Francorum primos antiqua ab origine Trojae,
690 quorum splendebat miro fulgore Clotildis.
691 Hos inter vidit submersum nuper in undis
692 Rutenum Aegeis rutilantem lampadis instar.
693 Quem pius affatur paucis Pipinius heros :
694 "Cum te transversum raperet, Rutene, procella,
695 heu, quis me dolor afflixit, cum naufraga puppis
696 ante meos oculos pelago est absorta tumentis.
697 Nunc te felicem laetus super aethera cerno
698 praeteritoque libens compenso gaudia luctu !"
699 Haec dicens dextram conjungit et oscula sacrae
700 dat fronti. Multosque viros, quos perculit ensis,
701 quique suo regi pepererunt sanguine palmam,
702 alloquitur dextrisque tenet dictaque salute
703 vix abit. Instat enim et regem comitatur euntem
704 pone cohors. Veluti longo post tempore siquis
705 externis oris redeuntem cernit amicum,
706 non satis est vidisse semel, sed cuncta laborat
707 scire simul pendetque inhians narrantis ab ore,
708 sic suspensa suum circumdant agmina regem.
709 "Rumpe moras", Pipinus ait, "properemus ad ipsam
710 reginam ! Lux est toto haec celeberrima caelo.
711 Illic caelicolas gemmis auroque coruscos
712 aspicias, et quanta viris sit gloria justis."
713 Dixit et ad dextram vestigia torsit in aedem
714 Virginis auratam, qua non spatiosior usquam
715 altera vel toto moles reperitur Olympo.
716 Ut ventum ante thronos penetraliaque intima divum,
717 tunc Carlus pronus veneratur corpore numen
718 vertice nudato lacrimisque rigantibus ora.
719 "Alma parens," inquit, "Caeli regina supremi,
720 Virgineo cujus gremio sacer ignis ab alto
721 infusus tenebras noctis discussit inertes,
722 o numquam humanos, virgo, frustrata labores,
723 spes hominum certa et mundi tutela ruentis !

724 Intercede, precor, veteris vestigia labis,
 725 siqua manent, prorsus contrito corde laventur !
 726 Irriget arentem caelestis gratia mentem,
 727 ut faciam, quodcumque monet divina voluntas.
 728 Haec eadem nostris sit cura nepotibus, oro.
 729 Imperium sine labe regant. Nunc annue votis,
 730 diva, meis : victus nostris Desiderius armis
 731 corruat, ut poenas scelerato e sanguine sumam,
 732 integer ut Christi cultus sine labe colatur !
 733 Exorata Deum saeclo succurre labanti !
 734 Jam voveo, regina, tibi nova condere templa,
 735 quassa resarcire et totum dispendere regnum."
 736 Dixit et ante pedes vultu lacrimante Mariae
 737 procidit et sacris supplex dedit oscula plantis.
 738 Tunc dea Christiparens prostratum attollit et inquit :
 739 "Optime Francorum rector, Pipinia proles,
 740 cui Deus omnipotens hostes domitare superbos
 741 Maumettique nefas dirumque abolere venenum
 742 nequitiae tribuit, Latium provincia restat
 743 ultima. Quot victor caesos miraberis hostes !
 744 Iapygios sternent numerosa cadavera campos,
 745 barbarico infectae spumabunt sanguine Cannae.
 746 Parte alia tibi terga dabit Lombarda juvenus,
 747 deponet barbam, mores legesque deosque
 748 mutabit ; durumque jugum a cervice repelles
 749 Ausoniae, poenasque dabit Desiderius arce
 750 Bebriaca expulsus, manibus post terga ligatis
 751 ante tuos currus omni cum prole trahetur
 752 ponet et in tenebris obscuri carceris aevum.
 753 Ergo alacer, Martis quaecumque pericula restant,
 754 invadas timeasque nihil, nisi laedere numen
 755 aeternum. Sola laudes virtute parantur.
 756 Tu quoque, siquando mundi inferioris ad oras
 757 descendes, homines hac nostra voce monebis :
 758 observent decreta Jovis ! Justumque piumpque
 759 esse putent, lentas totiens ne provocet iras
 760 peccando mortale genus. Telumque trisulcum
 761 irata jamjam dextra torquere minatur,
 762 etsi non cesso justum mollire furorem
 763 pro miseris supplex, precibus tamen abdicat aures.
 764 Exprobrat ingratis perfossum vulnere corpus,
 765 pro quibus infandae sentit convicia gentis ;
 766 inficiuntque polos scelerate jurgia linguae.
 767 Ne senium exspectent, vitium virtute rependant,
 768 dum licet et veniam possunt delicta mereri.
 769 Ne sperent anima Christum fugiente precari,
 770 turpia si totam macularint crimina vitam."
 771 Haec ubi siderei genetrix regina Tonantis
 772 dixerat, ingenti sonuerunt omnia plausu
 773 edentes caeleste melos Seraphimque Thronique
 774 angelicique chori volitabant nube corusca :
 775 "Haec est festa dies ! Miro hanc celebramus honore,
 776 qua Deus humanae se infudit virginis alvo,
 777 ut clausum exsulibus Christus reseraret Olympum,
 778 qua simul ex alto nexu conjuncta tenaci
 779 legitimi natura viri et substantia summi
 780 vera Dei, per quem tam grandi fenore liber
 781 aenea persolvit contractae vincula culpae,

782 nunc homo depulso subiturus daemone caelum !"
 783 Talia siderei celebrabant carmina cives.
 784 Hos inter coetus a laeva fornicis umbra
 785 - lapsa velut caelo discurrit stella sereno -
 786 obtulit ante oculos Carli et sic farier orsa est :
 787 "Bellipotens ductor, caelum qui laude mereris,
 788 audisti, quae diva parens ventura retexit.
 789 Firma manent ; sed enim primum haec te voce monebo :
 790 Alpheae vix tu Tyrrenae ad litora gentis
 791 appuleris, fortis subito cum robore turma
 792 ter centum venient equites fulgentibus armis,
 793 qui Florentinae dejectis moenibus urbis
 794 relliquias habitant Romanae stirpis alumni.
 795 Hos comites adhibe tecum socia arma ferentes.
 796 Stirps praeclara fide et longe pollentior armis
 797 quam stragem generosa dabit ! Quae funera cernes !
 798 His ducibus nota tutus regione viarum,
 799 quocumque ire voles, duces victricia signa,
 800 his bene pro meritis collectis undique quassas
 801 attolles arces recidivaque moenia pones.
 802 Francorum ante omnes Florentia nomen amabit.
 803 Hoc animis geret incoctum per saecula foedus."
 804 Dixit et, ut clara discurrit lampade fulgur,
 805 limpida sic animae fulxit labentis imago.
 806 "Dic, genitor, nomen, quae lux, quis spiritus ille est,
 807 cujus frons rutilat Phoebeae lampadis instar ?"
 808 "Etruscae", Pipinus ait, "Zenobius urbis
 809 antistes civisque fuit, quo tempore magnus
 810 Ambrosius Christi ceu fulmen contudit hostes.
 811 Moribus effulxit claris, quos praesulis esse
 812 pastorisque decet. Cujus sapientia Grais
 813 nota fuit, totiens Byzanti missus ad aulam
 814 orator, postquam Latiae telluris habenas
 815 Dardaniamque aquilam reges tenuere Pelasgi.
 816 Quos miro ante alios cernis fulgore micantes,
 817 doctores sacri eloquii, velut ubere fonte
 818 dives vena fluens sitientes irrigat agros,
 819 arrida sic hominum divino corda liquore
 820 fovere et veram Christi docuere salutem.
 821 Emicat ante omnes ceu sol Hieronymus ignes,
 822 et merito, quoniam pompis Romaque relicta
 823 exemplar magnum cleri secessit ad imos
 824 Thebaidos saltus juxta deserta Syenes
 825 inter serpentes et lustra horrenda ferarum,
 826 ut puram attrito servaret pectore mentem.
 827 Aethiopum de more cutem contraxerat atram,
 828 - omniaque exesi numerasses pectoris ossa.
 829 Quique gerunt vinctos palma lauroque capillos,
 830 invicti testes pro Christo vulnera passi
 831 audacter subiere neces. Nunc vita perennis
 832 inter consortes felicitatis ducitur urbis.
 833 Electi generis non hac est copia major.
 834 Inspice virgineos coetus candore nivali
 835 haerentes semper, quocumque volaverit agnus,
 836 atque eadem soli reddunt responsa canentes.
 837 Hi nulla Cyprii macularunt labe veneni
 838 sincerum corpus, prorsusque libidinis expers
 839 angelico de more animus compescuit ignes.

840 Quique thronis resident altis, quos purpura vestit,
841 hi Mosis primum velata aenigmata legis
842 servarunt, saeclicque patres docuere prioris
843 veraque fatidicis cecinere oracula cartis.
844 Quas inter Seraphin cernis Cherubique Thronosque,
845 nunc vacuas sedes, sacra de stirpe nepotes
846 Francorum implebunt. Rutilis tibi clara pyropis
847 sublimi stabilita loco est post funera sedes.
848 Qui longe ante alios lucet formosior, illum
849 effinxit Deus humanae primordia prolis.
850 Suspice bis senos alia de parte sedentes
851 altius aetherae juxta subsellia matris,
852 inferiore loco tamen in solioque secundo !
853 Hi sunt discipuli Christi, qui voce canora
854 sparsere extremas crucifixi nomen ad oras,
855 et merito proceres primo donantur honore.
856 Nec longe reges et cives gloria dispar
857 consequitur : potiora suis quis publica rebus.
858 Altius exstantem quem cernis in ordine primo,
859 luciferi tenet ille locum, triplicique corona
860 insignis primae meruit praeconia laudis.
861 Non, mea si sacro divinus spiritus igne
862 ora inflammaret, summi mysteria caeli
863 quantaque post obitum justorum gaudia mentes
864 aeternum maneant, valeam percurrere. Nec tu,
865 nate, capax tenebris et carcere saeptus in atro,
866 nunc incorporeas posses cognoscere formas,
867 sed tamquam in speculo caeli phantasmata cernis.
868 Verum ubi longaevae vitae compleveris annos,
869 exuviis senii positis nitidusque juvena,
870 aspicias propius flagrantia lumina divum
871 perpetuo mecum caeli functurus honore,
872 ceu regina novis volucrum petit aethera pennis
873 atque inconivens Phoebeos respicit ignes.
874 Nunc te jam superis regnis decedere tempus ;
875 fata moras prohibent. Tantum tibi noscere, quantum
876 mortali licuisse, datum est." Nec plura locutus
877 oscula dat nato, tenuesque recedit in auras.
878 Sunt geminae caeli portae, binique feruntur
879 introitus, totidem ora patent venientibus alto.
880 Lactea prima via est fulgens candore nivali,
881 qua sanctae ad caelum volitant feliciter umbrae,
882 quaque frequens remeat tenditque interpres ad astra
883 sidereus mediumque diem septemque triones
884 dividit ; apparent crebrae vestigia plantae.
885 Solis ab exortu protenditur altera Calpen,
886 ex auro solido strata est adamantequae clausa.
887 Hac iter ad superos facile est, via plana patensque
888 descensus, nulli casus rupesque timendae.
889 Haec solo calcata Deo est, cum virginis alvus
890 igne sacro intumuit, rediit quoque victor eadem,
891 legis ubi aeternae mysteria cuncta peregit
892 innumeramque trahens pompam de more triumpho
893 alta serenati transcendit sidera caeli.
894 At Jovis interpres per lactea limina labens,
895 per declive jugum fumantemque aethera currus
896 aliferos rexit velocius alite vento.
897 Attonitum tantis monstris rebusque supernis

898 incolumem exposuit frondosi in vertice montis
 899 Epiri Carlum. Grai hunc dixere Talarum.
 900 Mox repetit Seraphis non fulmine tardior astra.
 901 Rex iter accelerans per inhospita saxa Chimaerae
 902 sub lucem celsi Buthroti ad moenia tendit.

IX

C_9 v.1 Jam jubare exorto surgens Tithonia conjux
 2 luciferos frenabat equos, apicesque rubebant
 3 Eoi rutila nascentis lampade Phoebi,
 4 cum rex Epiri strato thalamoque relicto
 5 sollicitum repetebat opus populisque vocatis
 6 jura dabat solio residens ac sorte trahebat
 7 ex urna causas iudexque erat omnibus aequus ;
 8 tristia clamorae sedabat iurgia plebis.
 9 Nec non Argolici proceres omnisque senatus,
 10 consilium ut magnis una de rebus haberent,
 11 compositis horis ad regia tecta fluebant.
 12 Ipse etiam somni parcissimus advolat heros
 13 Martius Orlandus. Socios simul excitat, illos
 14 increpat, hos laeta solatur voce dolentes.
 15 Absentis cunctos regis mora longa coquebat,
 16 quid faceret, quonam terrarum incognitus isset.
 17 Ut fit, plura metus suadet mala, falsus haruspex.
 18 Non optata diu poterat praesentia Carli
 19 celari, sumptisque fremit plebs excita telis
 20 exposcitque suum reddi ad spectacula regem.
 21 Cum subito totam vulgatur fama per urbem
 22 magnanimum heroem non longe a moenibus esse
 23 Francorum regem, cecidit dolor omnis et ira.
 24 Nec mora, certatim portis erumpit apertis
 25 obvia turba duci, dicit redditque salutem.
 26 Necnon audito Justinus nomine Carli
 27 obvius accessit procerum comitante caterva.
 28 Utque procul sese princeps conspexit uterque,
 29 ad terram defluxit equo, positisque galeris
 30 mutua complexi libarunt oscula fronti.
 31 Enarratque morae causas, quantosque labores
 32 pertulerit tutus per mille pericula Carlus,
 33 quanta malis sit poena viris, quae gloria justis,
 34 utque brevi Epiri solvet de litore classem
 35 Ausoniamque petet (sic poscunt iussa parentis).
 36 Celticus haec rector paucis referebat, et una
 37 ambo duces lentis ingressi passibus urbem
 38 atria marmoreis subierunt fulta columnis.
 39 Illic Chaonius princeps sub Apolline jussit
 40 regali luxu convivium lauta parari.
 41 Ast ubi pulsa fames, dapibus mensisque remotis
 42 Orlandum Uggeriumque vocat Pipinius heros.
 43 Ocius arma monet cursumque abiturumque parari
 44 aptarique jubet malos et stringere remos,
 45 omnia congerere in naves, mora ne qua retardet.

46 Jam brumae extremae pars ultima labitur, et sol
 47 ingreditur Vellus Phrixium Pisce relicto :
 48 tunc omnem videas Epirum ardere tumultu
 49 litoraue oppleri ratibus saevoque perunctas
 50 deduci in pelagus magno clamore triremes.
 51 Vidit ut exortas gratissima sidera nautis
 52 Pleiadas et Zephyros sensit spirare secundos,
 53 confestim ascendit rostratis navibus aequor
 54 Belgicus Ionium, rector dat carbasa ventis
 55 Euphranor clavumque Italas detorquet ad oras.
 56 Ipsi alacres celsis proceres in puppibus adstant,
 57 nec nautas opus est rectoris voce moneri.
 58 A tergo impellunt currentem flamina classem.
 59 Desierant arces ponto ascendente videri,
 60 undique caerulei caligo horrenda profundi
 61 et magni facies solum spectatur Olympi.
 62 Jam Tartessiacis Titan immerserat undis
 63 fessus equos, terramque atra nox texerat umbra,
 64 cetera cum placido se dant animalia somno
 65 alternaque solent curas relevare quiete.
 66 At Rhodius mediis vigilans Euphranor in undis
 67 inconiventi servabat lumine caelum.
 68 Ipse etiam princeps mediae jam noctis abactae
 69 curriculo insomnis ventura pericula belli
 70 versabat vigili percurrens omnia mente.
 71 Tandem ubi sera quies vigilantia lumina clausit,
 72 nuntius ecce Jovis Raphael demissus ab astris
 73 constitit in celso sublimis vertice mali.
 74 Emicuit nitido pontus fulgore pyropum,
 75 astrorum ut tremulo radio nitet aequoris unda.
 76 Fulsit ut aethereo praetoria lumine navis,
 77 spiritus haec linguis sic est ardentibus orsus :
 78 "Effuge Garganum montem templumque Licinnae,
 79 quod procul aspicias, cum cras Aurora rubebit.
 80 Cuncta Lybes Maurique tenent ; neque litus amicum
 81 Italiae prius attigeris portumque subibis,
 82 quam Siculum longis lustres erroribus aequor
 83 Tyrrhenasque petas Pisani litoris undas."
 84 Dixit et ambrosium per navim effudit odorem.
 85 Ingenti sectae nubes sonuere fragore,
 86 Quo discussa quies Carlo est. Tum poplite flexo
 87 aeterni supplex veneratur numina Christi.
 88 Jussa Dei exsequitur. Doctumque Euphranora, classis
 89 rectorem, appellat, Siculas ut circulat urbes
 90 Tyrrhenumque petat pelagus vitetque Tarentum
 91 arvaque Siponti et Junonis deserat arcem.
 92 Annuit Euphranor clavumque retorsit in undas
 93 Trinacrias, laevamque omnes petiere triremes.
 94 Jam procul Ausoniae radiis rutilantibus arces
 95 orta dies medio monstrabat in aequore Gallis.
 96 Primus ab excelsa clamavit puppe Rinaldus :
 97 "Italiam cerno, socii, quae meta laborum
 98 ultima nostrorum est ! Validis incumbite remis !
 99 Hostiles terras ferratis scindite rostris !
 100 Quando erit, ut noster Lombardo sanguine mucro
 101 stillet et Ausoniis saevam extirpemus ab agris
 102 barbariem priscis reddantur et arva colonis ?
 103 Quid Tyrios hostes, quid barbara tela timemus ?

104 En quid opus longis lustrare erroribus aequor
105 Tyrrhenum ? Ut cauto detur mora longior hosti
106 undique quaerendi totas in proelia vires ?
107 Cur torques laeva clavum ? Pete saxa, Licinne !
108 Nonne vides Latium, Euphranor ? Fugisse putabunt
109 imbelles Mauri, crescetque audacia nostro
110 contemptu ! Ad litus jam jam converte triremem !"
111 Quem placido lenit cautus sermone furentem
112 Orlandus summique aperit mandata Tonantis.
113 Quin etiam brevioris iter compendia cursus
114 per mare demonstrat : "Cum nonus surget ab Indis
115 Lucifer, Etruscis tuti sistemus in oris."
116 Talia magnanimum vix sedavere furorem.
117 Haud secus accenso bilis deferbuit atra,
118 accepto catulus strepitu cum latrat et instat ;
119 si domini audierit vocem, tunc concidit ira
120 omnis et applaudit cauda mitisque quiescit.
121 Jamque propinquabant scopulis, quos providus heros
122 auribus obstrictis malo vitavit in alto,
123 cum, "Fugite, o socii, monstrum exitiale Charybdis",
124 clamavit Rhodius, "ne vos absorbeat imis
125 demersos aestu praerupta vorago cavernis !
126 Horrisonos validis fluctus proscindite tonsis !
127 En diros rictus septenaque rostra luporum
128 aspiciate ! "Exseruit latrantem belua ventrem,
129 nunc pelagus vasta absorbens condebat in alvo,
130 nunc strepitu ingenti per saxa sonantia ruptans
131 spumantes fluctus patulo revomebat hiatus.
132 Dividit Hesperiam mons Apenninus ad usque
133 Trinacrium longo porrectus vertice pontum
134 perpetua costa, Siculis quam rupibus olim
135 conjunctam inclusus ventorum turbo diremit.
136 Bisque die alterne Neptunius aestuat humor.
137 Inde citi remis abeunt Scyllaque relicta
138 a tergo ventis tumuerunt vela secundis.
139 Jam juga Miseni cernunt Lilybaeaeque saxa
140 et Drepani portum relinquunt Erycisque ruinas.
141 Hoc olim multis templum memorabile donis
142 terrarum reges exornavere Quirites,
143 at nunc squallet apex, neglectaque culmina sentes
144 cinxerunt, solaeque errant in vertice caprae.
145 Sic globus instabilis saxumque volubile rerum
146 stare diu felix patitur nihil. Omnia tempus
147 mutat et alternas sors irrequieta quadrigas
148 flectit agens, quocumque lubet. Celeberrima quondam
149 ter centum Siculis perierunt oppida terris,
150 urticae et densi texerunt marmora vepres.
151 Interea velox placido volat aequore classis
152 ac spirante Noto linquit post terga Panormum
153 nigraque fumiferis Vulcania saxa caminis
154 praeterit. Apparet Latium turresque superbae,
155 moenia prospiciunt pulchraeque Neapolis arces.
156 Parthenope hec quondam Sirenis nomine dicta est.
157 Et jam Chalcidicae fumantia culmina vatis
158 antraque Apollineo cernunt bacchata furore.
159 Jam tepidas Baias et amoeni litoris oras
160 aspectant propius, jam palmula radit arenas.
161 Haec loca marmoreis quondam pulcherrima villis

162 Romani fecere patres, magnaque ruinae
 163 incl^yta testantur veterum monumenta Quiritum.
 164 Pendentemque vident Caietam rupe sub alta
 165 et numquam a gelidis nemora exspoliata pruinis.
 166 Pontiaque angusto a terra jacet insula ponto,
 167 et prope odoriferis surgit Pandaria silvis,
 168 Cernius a dextra ostendit juga grata Lyaeo.
 169 Jam prope Terranam juxtaque argentea saxa
 170 desertique legunt Tyrrhenas Herculis undas.
 171 Vix procul apparet quassis Populonia muris,
 172 quam belli evertit rabies, et tabidus aer
 173 pestifero indigenas autumno misit ad Orcum.
 174 Has Tusci Euphranor memorabat litoris oras.
 175 Viderat has olim juvenis sub patre Nearcho,
 176 cum bonus Hesperiam exarchus Galinicus haberet.
 177 Nunc senior primae memorabat clara juventae
 178 facta libens : quotiens Sardoo a litore Mauros
 179 egerit in Libyem pulsos penitusque fugarit
 180 utroque Ausoniae Nasamonas ab aequore victor.
 181 "En illos scopulos et saxa occulta sub undis
 182 aspicite ! Immanis Nomadum rex Zotus adegit
 183 sacrilegam hac navim, mediaque voragine mersus
 184 Casinae poenas solvit perjurius aedis."
 185 Haec memori Rhodius referebat pectore ductor,
 186 veridicisque inerat torrens facundia verbis.
 187 Remorum interea Zephyri cessante labore
 188 implebant auris turgentia vela secundis,
 189 Plumbinque sinus celsaque Foretius arce
 190 non longe apparet, ferricque haud indiga monstrat
 191 Ilva comas. Tandemque Pharon portumque Liburni
 192 aspiciunt nullis munitum turribus (ut nunc
 193 marmoreis Ligure expulso Alphaeque colono,
 194 quas Florentini medio posuere profundo.
 195 Cedant pyramides, veterum miracula regum,
 196 siqua vel in toto est moles notissima ponto !).
 197 Pisanum attigerat portum vix Gallica classis,
 198 Etruriae rapidis cum Fama citatior Euris
 199 implevit trepidas dubiis rumoribus urbes
 200 magnanimos venisse duces regemque potentem
 201 innumerasque alas equitum peditumque cohortes
 202 multiplicatque metum miscens mendacia veris.
 203 Mox levibus pennis Lombarda per agmina fertur
 204 Scandaviae minitans genti tormenta, catenas,
 205 utque ferox iris surrexit Etruria justis
 206 in libertatem, necdum sociata coisse
 207 agmina Flaminiae. Foedus percusserit Umber,
 208 Picenum ac Romam belli fervere tumultu.
 209 At rex, ut primum Pisano in litore turmas
 210 exposuit, Tuscas legatos misit ad urbes,
 211 ut socias secum vires et foedera jungant.
 212 Suppetias miseris Italis valida arma tulisse,
 213 Barbarus ut Latii deletus corruat hostis.
 214 Nobilium magna procerum comitante caterva
 215 mittitur orator sacram Turpinus ad urbem.
 216 Antistes tunc rem Romanam Hadrianus habebat,
 217 egregia de stirpe Remi. Frustraque petitum
 218 presserat horrendis Desiderius impiger armis.
 219 Quin Longobardas Namum direxit ad oras,

220 Scandavium ut moneat regem desistere bello,
 221 hortetur pacem, jussis parere Quirini
 222 Pontificis mandet, generi ne sentiat arma.
 223 Dicite, Pegasides, sacrosque aperite recessus
 224 verticis Aonii et nostro aspirate labori !
 225 Alma Jovis genetrix, supremi gloria caeli,
 226 adsis, virgo, meis favor et spes unica coeptis,
 227 ut lingua, ut pectus divino ardore calescat,
 228 grandior ut solito, qualis Colophonius heros,
 229 qualis et altiloqui sonuit tuba clara Maronis,
 230 spiritus ore tonet : Tuscas quis rexerit urbes,
 231 quis status Ausoniae fuerit, cum magnus alumnus
 232 Pipini tetigit victrici classe Liburnum.
 233 Nil altum sine te, virgo, mea carmina tentent.
 234 Sexcentum lapsi incertis auctoribus anni
 235 obruta vix monstrant tenuis vestigia famae.
 236 Altius expediam priscaque ab origine pergam,
 237 qui primi Oenotriam reges, quibus orbis ab oris
 238 aurea post gemini petierunt saecula Jani :
 239 ante Phrygem Aeneam prisca venere Pelasgi
 240 Cortonaeque altam posuere in montibus arcem,
 241 tempore quo rubrum Moses sine navibus aequor
 242 impia sacrilegi fugiens Busiridis arma
 243 transivit siccis pedibus cedentibus undis.
 244 Mox urgente fame Lydorum clara propago
 245 sub duce Tyrrheno Latias penetravit ad oras,
 246 expulsisque Umbris utroque in litore metas
 247 imperii posuit dedit et sua nomina ponto.
 248 Dardanius rerum donec Romanus habenas
 249 Italiae flexit, cesserunt omnia Romae
 250 regna, nec Ausonidum potuit stirps stante Quirino
 251 exserere ulla caput. Sed postquam caede nefanda
 252 civilis vertit discordia funditus urbem,
 253 impius extremo Scythiae Radagasus ab axe
 254 cum fratre erumpens foedavit sanguine Romam.
 255 Heu, qualem infelix habuit Florentia cladem !
 256 Immanisque Attila, quo formidatior alter
 257 non fuit, evertit prostratis oppida muris ;
 258 Vandaliusque furor ferro flammisque ruentem
 259 Hesperiam absumpsit. Mox longe immanior hostis
 260 Ausoniam invasit spadonis fraude vocatus,
 261 Oceani ex undis trans claustra sonantia Tauri
 262 Albinus primus regum prorupit in oras
 263 Italiae bello insignis, quem perfida conjux
 264 ulta patrem ferro thalamis jugulavit in altis.
 265 Ex hoc Ausoniae diri fluxere tyranni.
 266 Tunc vero extremus Lombardi sanguinis heres
 267 sceptrum ferox Latii Desiderius ense tenebat.
 268 Nuntia vix Italos complerat fama penates
 269 Gallorum adventu, cum justis Tuscia telis
 270 arreptis regem dejecit ab arce Gilulfum
 271 collaque disruptis erexit libera vinclis.
 272 Princeps ante alios populos Florentia mater
 273 ter centum instructos equites fulgentibus armis
 274 praesidium Gallis, peditum bis millia misit
 275 ductoresque dedit ternos rerumque magistros
 276 assuetos bello cunctis praefecit Etruscis.
 277 Magnanimus Medices primum regit agmen equestre,

278 unde genus sumpsit Medicum pulcherrima proles.
 279 Quanto alios Libyes montes supereminet Atlas,
 280 tanto Italos superat cives opulenta propago.
 281 Nec minus insignis pietate Caponius alter,
 282 a quo magnanimum soboles generosa Caponum
 283 profluxit mixtumque genus Victoria pubes.
 284 Tertius at ductor Mavortius Adimar ibat,
 285 alter Marcellus bello, genus unde nepotes
 286 deducunt nomen. Carlo socia arma ferebant.
 287 Oppidaque Arreti, Tyrrheni uberrima campi,
 288 sub duce Tarlato ternas misere cohortes ;
 289 quingentos equites misit Cortona vetusta ;
 290 Braccius erupit Perusina victor ab arce,
 291 et nulli inferior Perusinus laude Biordus
 292 invictam duxit duplicato milite turmam.
 293 Tum quoque Sena recens Clusinis aucta ruinis
 294 misit ter centum instructos de more phalangis.
 295 His ductor Silvanus erat. Pariterque tot armis
 296 Florentes equites Tuscae misere Rosellae,
 297 - At nunc nulla manent tantae vestigia sedis.
 298 Ipsa licet vulsis ruerit Populonia muris,
 299 deduxit tamen inde unam Cerbonius alam
 300 egregiam bello, ancipites tum quisque secures
 301 Aeneaque ut quondam gladiatrix turba ferebat
 302 retia, quis fraude implicitos comprehenderet hostes.
 303 Duxit et invictum Volaterris Persius agmen
 304 Florentemque equitum turmam, quibus aereus arcus
 305 et gravidae telis pendent post tela pharetrae.
 306 Lucensique ferox venit Castruccius urbe,
 307 contemptor pacis, solaque cupidine Martis
 308 mille viros secum traxit, qui flumina potant
 309 auxeris (antiquum nomen nunc perdidit amnis).
 310 Quique habitant juxta Macram Lunaeque ruentis
 311 reliquias, metam Ligurum, Sarzanaque saxa,
 312 bis centum misere equites ductore Theranno.
 313 Parrhasiae urbs olim Tuscis pulcherrima terris,
 314 quae mare perdomitum secuit victrix carina
 315 et nunc Syllanis paret subjecta colonis,
 316 in Longobardos equitum septem agmina misit.
 317 Lanfrancus dux acer erat, Galandus et Agnus,
 318 signum erat his fulvus picto Jovis armiger auro.
 319 Et Cancellus eques Pistori moenia liquit,
 320 cum quo ductor erat pariter Panceticus Hector,
 321 egregii juvenes, sed quos discordibus armis
 322 Thesiphone evertit, patriae communis Erynnis.
 323 Auxilium unanimes Carlo Gallisque tulerunt
 324 mille viros belli gnaros duroque labori
 325 assuetos nullamque feri novere quietem.
 326 Quique colunt pulchri prati pinguissima rura
 327 (olim vicus erat, nunc celsis oppida muris),
 328 collensesque fide egregii belloque feroces
 329 horrenda in saevos rapuerunt arma tyrannos.
 330 Tantus amor belli, tanta est insania Martis,
 331 ut vomer palaeque omnes durique ligones
 332 conflati saevos permutarentur in enses.
 333 Jam quoque terribilis belli penetraverat urbes
 334 Flaminiae rumor. Primosque Bononia motus
 335 fecit et, ut proprio gens est assueta furori,

336 utque agitat demens saevos discordia cives,
337 impia certatim obscuris penetralibus arma
338 corripuere diu quaerentes rumpere pacem,
339 barbarus oppressis quam dudum tradidit hostis.
340 Inter quos fuerat princeps Malvettius, unde
341 et genus et nomen clari duxere nepotes.
342 Nec non Serra potens, praestantis sanguinis auctor,
343 et peditum et turmae fuerat praefectus equestris,
344 cum quo dives erat fulgenti Peppulus auro.
345 Misit et insignem bello Mirandula Picum,
346 a quo Picorum defluxit clara propago.
347 Et, tunc Italiae caput et tutela, Ravenna
348 relliquias Getici dejecerat arce furoris
349 Lombardosque truces dominos, vix nomine Carli
350 audito. Quamvis supero sit condita ponto,
351 Tyrrenum tamen ad pelagus fortissima misit
352 corpora subsidium Gallis. Thoracis aenae
353 de tot militibus nullus sine tegmine venit.
354 Ast Imolae quamvis angustus terminus urbem
355 exiguam claudat, populus tamen acer ad omnes
356 doctrinae bellicae artes lectissima pubis
357 corpora magnanimae, quin ipsa Faventia misit
358 Blanchello electas tres sub rectore cohortes.
359 Vicinumque Forum Livii sub principe Pino,
360 Amphitrioniadae nato de gente vetusta,
361 armavit cives nodosae robore clavae,
362 aeterna ut generis ferrent monumenta paterni.
363 Impiger Ariminum linquens Malatesta phalangem
364 per medium Ausoniae Pisana ad litora duxit.
365 Haec ubi Romana antistes Adrianus in aula
366 accepit, quamquam Desiderius omnia flammis
367 vastavit, villas, agros castellaque vertens
368 compulsamque diu Tarpeia obsederit arce,
369 mille equites, qui pila ferant aquilasque volantes
370 signaque Romani quondam veneranda senatus,
371 confestim ire jubet Carlique adungere castris
372 praefecitque duces ternos de gente vetusta :
373 Orsinum clarum bello fortemque Columnam,
374 nec minus insignem Martis virtute Sabellum,
375 qui fuit invicti generis clarissimus auctor.
376 Hos magno accepit Carlus veneratus honore.
377 Nec non Parthenopes juvenum fortissima pubes
378 ad Carlum veniens agmen conjunxit equestre :
379 Coxia ductor erat praeclarae stirpis origo,
380 cum quo Pontanus Martis tractabat habenas,
381 - Pontanus, prisca Aeneadum de stirpe creatus,
382 egregium bello genus et memorabile Mysis - .
383 Quin et Calcidicis venerunt agmina Cumis.
384 Nec vos, ter deni juvenes, nec vestra silebo
385 facta, viri : dulces natos carosque parentes
386 linquitis et patriae campestris moenia Nolae,
387 jurati numquam ad notos remeare parentes,
388 ni meritis poenas laceratus solverit hostis.
389 Sacrilegas quondam Nolano barbarus aras
390 sanguine foedavit nutritaque corpora flammis
391 projiciebat ovans manesque Acheronte vocatos
392 eliciens vetitas exercuit impius artes,
393 unde haec lecta manus justam surrexit in iram.

394 Ipse Geraldinus, generis clarissimus auctor,
 395 electos equites Amerinis duxit ab oris.
 396 Multaque praeterea venerunt agmina Carlo
 397 subsidio, ut saevos delerent Marte tyrannos.
 398 Has ubi collegit Tyrrheno in litore turmas
 399 Carlus et ardores animorum vidit et omnes
 400 vincere vel pulchram potius per vulnera mortem
 401 oppetere atque omnes belli perferre labores,
 402 quam juga barbarici victos tolerare furoris,
 403 ascendit tumulum, socios unde arduus omnes
 404 spectet, et has placido prompsit de pectore voces :
 405 "Magnanimi proceres, quorum victricibus armis
 406 Maumetti labem et saevos delevimus hostes,
 407 ostia Niliaci multo qui sanguine ponti
 408 turpastis Memphimque solo vertistis ab imo
 409 altaque cepistis Pellaei moenia regis
 410 Assyriaeque caput quondam, Babylona superbum,
 411 cinxistis caesis Medis Indoque fugato
 412 impiaque a sacris pepulistis sedibus arma,
 413 ultimus hic finis bellandi, haec meta laborum est !
 414 Commune imperium, communis gloria mecum,
 415 omnis honos communis erit ! Germania caeso
 416 Saxone victa jugum cepit. Jam paret Eous,
 417 Dacus et Albanus nobis atque ultima Thule.
 418 Hoc tantum exstirpate nefas ! Hoc vincite bellum !
 419 Aeternam vobis pariet victoria laudem.
 420 Vos, Itali, obtestor, qui me meaque arma secuti
 421 praemia devictis Lombardis magna feretis,
 422 civis quisque suam caesis colet hostibus urbem.
 423 Quae ferrum eruerit, rapidus quae torserit ignis,
 424 oppida restituum recidivaque moenia ponam.
 425 Omnis ab Ausonia pelletur barbara pubes,
 426 nec dux externus vestris dominabitur oris !
 427 Libertas propriis popularis legibus urbes
 428 Oenotriae reget, et mixtus cum plebe senatus
 429 jura dabit, meritis digni tribuentur honores.
 430 Jam requiem tanto fessi sperate labori !"
 431 Talibus hortantem regem Mavortia turba
 432 audit, et applausu fremuerunt castra secundo.

X

C_10 v.1 Labitur interea Lombarda per agmina rumor
 2 attonitasque replet vanis terroribus urbes.
 3 Tunc forte Eridani juxta Desiderius undas,
 4 qua posita est latis herbosa Placentia campis,
 5 indomitos agitabat equos durisque lupatis
 6 compescens celeres ductabat in aequore currus.
 7 Spicula pars lentis torquebant acta lacertis,
 8 pars gladio ancipiti Martis simulacra ciebant,
 9 tentabant alii nando superare biremes.
 10 Dum sic instruitur ludis Lombarda juvenus,
 11 ecce atrox implet certantum nuntius aures

12 advectos hostes totamque sub arma coisse
 13 Etruriam Latiique urbes populumque Quiritum.
 14 Majoremque metum rumor duplicabat acerbus
 15 magnanimum venisse ducem heroasque tremendos,
 16 quorum perdomitus dextris pareret Eous.
 17 Haec postquam accepit furiata mente tyrannus,
 18 concilium propere accersit solioque paterno
 19 sublimis residens, postquam praecone jubente
 20 suspensi tacitis fecere silentia linguis,
 21 talibus alloquitur saeva inflammatus ab ira :
 22 "Francorum, audistis, quantis exercitus armis
 23 in nos armetur, quantoque in bella furore
 24 Ausonii insurgant. Descivit Etruscus et Umber
 25 Flaminiaeque ferox populus, coit omnis in unum
 26 Hesperia, ut procul Oenotriae trudamur ab oris,
 27 si velut attoniti vertamus terga pavore !
 28 Quin capite arma cito, et turbam sternamus inertem
 29 assuetamque jugo et nostras perferre catenas ?
 30 Quam vestri extremis venientes finibus orbis
 31 vicerunt proavi et patriam posuere perennem,
 32 quae jam bis centum vobis captiva per annos
 33 vectigal solvit, nostris occurrere telis
 34 nunc audet ! Quae tanta illos insania cepit ?
 35 Arma parate, precor ! Sceleratam excindite gentem,
 36 ut nostri aeterna vivant in pace nepotes,
 37 Italiae ut toti victores nomina demus.
 38 Dicatur posthac Latium "Lombardia tellus" !
 39 Ne formidetis Gallos levitate furentes :
 40 foedera terribili sunt nobis juncta Thibaldo,
 41 qui Francos ferro terra insectetur et undis.
 42 Quin et Atlanteo socios a litore Mauros
 43 accersam veteremque hostem post terga ciebo
 44 Germanum, ut vacuas Celtarum diruat urbes.
 45 Et celer a Libycis Garamas advectus arenis
 46 Appula diripiet crebris incursibus arva,
 47 invadet Calabros montes Romanaque tecta
 48 mox petet et Gallos prosternet Marte secundo."
 49 Dixit et ex primo legatos ordine legit
 50 confestim, qui dicta ferant et munera portent.
 51 Edoceant, quanto Belgarum milite rector
 52 bella paret, totum ut Latium se junxerit hosti.
 53 Ni propere occurrant primas extinguere flammam,
 54 cum nondum validas cepere incendia vires,
 55 omnia mox auctus late populabitur ignis.
 56 Otrius ire ibet navim, quae forte parata
 57 Adriaci curvam stabat prope litoris urbem.
 58 Conscendunt jussasque petunt Hamonis arenas.
 59 Pars rapidis altis perreptat passibus Alpes,
 60 quaque fluit dubio per saxa Druentia cursu.
 61 Occulte ignota per silvas veste feruntur,
 62 dum juga Pyrenes tranant et flumen Iberum
 63 Marsiliumque petunt, clarus qui Baetios oris
 64 rex erat, argenti et fulvi ditissimus auri.
 65 Huic germana fuit Carli pulcherrima conjux,
 66 quam fratre invito sacris detersit in undis.
 67 Hinc causae irarum, Carloque acerrimus hostis
 68 Christicolas omnes terra exturbavit Ibera.
 69 Ergo avidus pugnae subiit lacrimabile bellum.

70 Nec Pyrenaeo contentus milite Calpem
71 trajecit Maurosque petens combustaque sole
72 oppida Massylum et Gaetulas improbus urbes
73 commovit bellique omnes accendit amore.
74 Nec minus infensus Carlo jam bella parabat
75 sponte feros populos inflammans gentis Eoae
76 dux Arabum, Syriae solvit de litore classem,
77 ut Calabros montes structis invaderet armis.
78 Nec non extremis Aquilonis Dacus ab oris
79 impiger ad pugnam Germanos impulit acres,
80 ne juga Francorum cessarent cardine tanto
81 demere, quin rumpant non aequo foedere leges
82 impositas : "Nec enim fas est parere superbis !
83 In libertatem vos vindicet arbiter ensis !"
84 Interea Latii propiore urgente periculo
85 ingentes urgebat opes et milite fido
86 nomine praesidii dubias Desiderius urbes
87 implebat. Multaque vafer rex barbarus arte
88 primores juvenum populo accersebat ab omni,
89 quis praefecturas atque omnis Martis honores
90 spondebat, quibus obsidibus firmaverat arces.
91 Ast ubi Betriacas Francorum orator ad urbes
92 venit et ante trucis Namus stetit ora tyranni
93 copiaque affandi coram data, vertice cano
94 assurgens placido haec Bavarius ore locutus :
95 "Si sua pontifici summo, rex, jura dedisses,
96 si promissa pio Francorum foedera regi
97 inviolata forent, nullis Oenotria bellis
98 nunc vexaretur, nec justam Carlus in iram
99 te contra incensus nunc arma tremenda moveret.
100 Non regni causa, sed relligionis amore
101 irruit in Martem Francorum Martia proles.
102 Eoae gentes testes Dacique subacti
103 atque alii, tantum quibus est erepta nocendi
104 copia. Sublato populis concessa tyranno
105 libertas. Nullisque bonis bella impia movit ;
106 fulminat in saevos hostes Pipinius heros.
107 Proinde metum belli ponas ; si ablata Quirino
108 oppida pontifici reddas neve arma rebellis
109 Ausoniis posthac moveas. Lombardaque tellus
110 imperii sit meta tui, ritusque nefandos
111 mactandi capras magicamque abolere memento
112 e templis labem, Romanaque sacra capessas.
113 Bella sinu pacemque gero. Datur optio ; utrumvis
114 elige, rex, donec res integra nec ferus ensem
115 destrinxit Mavors ! Scis, quanta potentia Carli,
116 cui Babylon paret, cui cessit Parthus et Indus.
117 Ne te tanta pii moveat clementia regis,
118 quodque gener fuerit : Christo parere necesse est.
119 Si nunc oblate contemnis foedera pacis,
120 arbitrio victoris eris, justamque reposcet
121 vindictam antistes, ponesque in carcere vitam,
122 si tibi, quod nolim, bellum persuaserit ira."
123 Dixerat haec Namus. Paulum Desiderius haesit ;
124 incertum, quidnam respondeat, ira furorque
125 praecipitem in bellum, metus in contraria raptat.
126 Exarsere feri postquam ignea corda tyranni
127 vultus et intumuit, rubicundum versus in ignem

128 talia dicta ferox flammanti reddidit ore :
129 "Infert arma gener socero mortemque minatur,
130 ni parere velim dictis, si jussa recusem !
131 Praetendit causam saevae pietatis inanem :
132 imperium ut quaerat, Christi se jactat amore
133 bella sequi ; et socerum patriis expellere terris,
134 haec pia Francorum fertur clementia regis,
135 et sacrosanctae fidei sibi quaerit honorem.
136 Proximus ut quisque est opulentus, protinus hostis
137 exoritur Carlo. Manichaeus et Arrius, ille, est
138 delendum ferro et rapido, pronuntiat, igne !
139 At te, ne domini patiaris, nata, superbi
140 Gallorum fastum, mors opportuna peremit.
141 Nunc ruit infensus soceri violenter in urbes
142 et nondum victo demens confinia ponit
143 imperii et leges describit. Quae mihi victor
144 plura jubere queat ? Quae bellis oppida coepi,
145 Pontifici ut reddam, mandat, neve arma rebellis
146 Ausoniis posthac moveam ! Regnisque paternis,
147 quae nostri sparso pepererunt sanguine reges
148 bis centum et longa serie tenuere per annos,
149 pellit et angusto terrae nos limite claudit.
150 At noscet Carlus robur virtutis avitae
151 Lombardis restare acremque ad proelia gentem
152 sentiet et nullo vertentem terga pavore,
153 quae dare consuevit leges et foedera victis !
154 Quin Longobardo sermone et jure Quirites
155 utuntur, Latiique omnes mea jussa verentur ?
156 Nunc regum extremus genero parere superbo
157 cogar, et Ausoniae Gallus dominabitur oris ?
158 Nondum Scandaviis cessit victoria castris !
159 Excute bella sinu gremioque effunde refuso,
160 quid nobis portas ! Pax nulla et foedera sunt
161 cum Carlo ! Francos, dum vivam, persequar hostis !
162 I cito, nostra tuo defer mandata tyranno !
163 Aspice sed primum, quantis exercitus armis
164 stet meus instructus Ticini ad fluminis undam,
165 invictasque equitum nobis superesse phalanges,
166 quas ego, Tartareis redeat si Caesar ab umbris
167 et generi jungat opes, opponere victor
168 auderem ! Satis est turmis Lombardus utrisque.
169 Non opus est, properet Carlus ; veniam ocior Euro
170 obvius. Haud illi cum Syro et pube Canopi
171 res erit imbelli." Nec plura locutus abire
172 legatum et regi jubet haec responsa referre.
173 Christe, potens rerum, summi sapientia patris,
174 affer opem vati et divinum infunde furorem,
175 ut Longobardas valeam numerare cohortes
176 magnanimosque duces et fortia facta virorum !
177 Te sine nil possem. Extremum concede laborem !
178 Tu mihi principium, tu nostri carminis auctor,
179 tu mihi finis eris ! Per te caelestia regna
180 Tartareosque lacus cecini poenasque malorum.
181 Da latices haurire sacros, nova carmina dictes,
182 quorum venturi possint meminisse nepotes !
183 Princeps Bebrica populum Desiderius urbe
184 duxit in arma ferum, oceani qui victor ab oris
185 presserat Italiam bis centum immaniter annos.

186 Impius humano placabat sanguine divos
 187 more Thoanteae gentis rituque Dianae
 188 infandasque sacri servans Busiridis aras
 189 hospitibus caesis manes Acheronte vocabat
 190 infando tandem ritu monstrisque relictis
 191 Virgigenae sacros Christo devovit honores.
 192 Conjunxit socias herbosa Placentia vires
 193 millia bis septem lectorum in bella virorum
 194 ductans, qui vitam duris agitare sub armis
 195 assuerant galeamque pati canente capillo.
 196 His fuerat Theias ductor, fortissimus heros.
 197 Unus hic innumeri pugnando militis instar
 198 compulit audaces solus dare terga maniplos.
 199 Trux erat aspectus, vox horrida, pronus in iram,
 200 torvaque sanguineis ardebant lumina flammis.
 201 Aereaque insuto portabat robora plumbo :
 202 vix ea tres nostro robusti tempore ferrent
 203 connixi juvenes humeris. His ille solebat
 204 Odrysius acies Martemque lacescere bello.
 205 Nulla fides pietasque viro nullusque deorum
 206 cultus erat. Credas Capanei e semine cretum.
 207 Parma, ferax pecorum longeque uberrima lactis,
 208 millia sex equitum misit, quibus ensis et arcus
 209 ferreus ex humeris pendet, tinctasque veneno
 210 Parthorum torquent fugiendo more sagittas.
 211 Praefuit his Rossus, generosi sanguinis auctor ;
 212 Pannoniae proavus quondam de finibus exul
 213 venerat, Etruscas frater secessit ad oras,
 214 unde genus duplex diviso stemmate Rossis.
 215 Quique bibunt Athesim, mediam quae intersecat urbem
 216 Veronae, caecis rapiunt penetralibus arma,
 217 ceu rabie stimulante novem armavere cohortes.
 218 Praeterea urgebat ductor Canis impius, Afra
 219 de stirpe. Hoc monstrum nulli feritate secundum
 220 Christicolis Gallisque odium exitiale ferebat.
 221 Ter centumque equites ductore Vicentia Lusco
 222 misit et exiguum numerum virtute rependit.
 223 Quinque equitum turmas, peditum ter millia misit
 224 Mantua, divino per saecula carmine felix,
 225 sub duce Gonzaga, victo qui Saxone furtim
 226 in Latium elapsus magno cum pondere venit
 227 argenti, unde ducum fluxit generosa propago.
 228 Qui colit Euganeas Trojani Antenoris arces,
 229 in Carlum hostiles tecum, Lombarde, catervas
 230 bis septem junxit, Phrygius quis praefuit Hector
 231 Pollydamasque simul frater, qui stemmate longo
 232 Dardanios tangebatur avos (si credere fama
 233 tam tenui volumus), quo non robustior alter
 234 et, quod contingit raro, prudentia velox.
 235 Sidoniique inerant astus, bellique magister
 236 portabat fulvas proavorum nomina pictas
 237 vexillis aquilas puerumque ad sidera raptum.
 238 Quin et Vercellis septem venere cohortes,
 239 quis supra galeas septenis anguibus hydra
 240 stabat liventes eruptans faucibus ignes.
 241 Praefuit his saevus Lombardae stirpis Alastor,
 242 quem regi Aeropo peperit formosa Voopis,
 243 Scandavii germana ducis, cum Gallicus ensis

244 sub duce Martello Eridani prosterneret arces.
 245 Et qui Bergameos proscindunt vomere colles,
 246 instructis galeis omnes, thoracibus omnes
 247 - Nam ferri locus ille ferax - venere minantes
 248 exitium caedemque Italis Gallisque catenas.
 249 Pollentesque undis Veneti longeque superbi
 250 in Gallos frustra denas misere phalangas,
 251 quos Morusus rexit, generosi sanguinis auctor,
 252 donataeque auctor sobolis, tum barbarus heros.
 253 Marticolas rexere manus, domus utraque Musis
 254 egregia, unde pii nomen traxere nepotes.
 255 Nec tu cessasti, misere vexata Cremona,
 256 hostili praedae totiens exposita Gilulfo,
 257 eruta Lombardis, demens atque immemor ire
 258 nunc socias adjungis opes Carlumque laccessis.
 259 Nondum Cremmaticas Federicus struxerat arces,
 260 ut sceleratus opes vicinae deletat urbis.
 261 Quin vetus armavit Pompei Lauda colonos,
 262 quam pirata Cilix tenuit, cum cederet undis.
 263 Lucaeique equites jussu venere tyranni
 264 Lombardi, in quorum fuerat fera vipera signis,
 265 quae medium infantem longa absorbebat in alvo.
 266 Nec mora, sublimi venerunt vertice Bosi
 267 monticolae pedites succincti pellibus ursae,
 268 insertamque tegit laevam ficulnea parma.
 269 Hi pedibus nudis glaciali Aquilone per altas
 270 ire nives soliti et longum venatibus aevum
 271 efferre et duras Parcarum evincere metas.
 272 Mille viros ductor Blemida traxit Amilcar,
 273 Poenorum quem fama refert de prole creatum
 274 (cum Mago Insubribus Romanos pelleret arvis,
 275 Bebriacam agnovit Teudam, de semine cujus
 276 Blemidae cretus longo post tempore ductor,
 277 qui nunc invicto indixit fera proelia Carlo).
 278 Belligerique gregis domitrix Eporedia denas
 279 Romano instruxit ritu pilisque cohortes.
 280 (Hanc monitu Aeneadas referunt posuisse Sibyllae :
 281 tabida cum pestis populos, armenta gregesque
 282 perderet Ausoniae caderentque ex arbore poma
 283 putria et infecti fluerent a fonte liquores,
 284 montibus hanc condi monuit consultus Apollo,
 285 perpetuisque illic celebrari Pythia ludis.)
 286 Quique aprica colunt Taurini rura sub Alpes,
 287 qui fontem Eridani juxta sublime Revellum,
 288 quique tenent Clitium caeloque minantia saxa
 289 (quae nisi tosta ferox rupisset Poenus aceto,
 290 Ausonia externis floreret tuta periclis).
 291 Dumque Cisalpinas vacuat Desiderius urbes,
 292 innumeras dum cogit opes et congregat arma,
 293 impiger Alnulphus Spoleti a sede profectus
 294 ad genitorem equitum duxit bis quinque maniplos.
 295 Dexter utraque manu gladio sive eminus hasta
 296 terribilis solersque astus patiensque laborum,
 297 majestasque inerat taurinae regia fronti.
 298 Has ducis aequabant virtutes crimina multa :
 299 nulla fides divumque metus, tum tigride pejor
 300 Hannibal alter erat per montes lapsus Etruscos.
 301 Per medios hostes agmen deduxit equestre.

302 Tu quoque, germano non concessure, Gilulfe,
303 egregias peditum Samnitum ex urbe catervas
304 duxisti ad patrem Beneventi moenia linquens.
305 Ecce Ravennati profugus Rosimundus ab arce
306 nudus opum ad regnum vix clam remeare paternum
307 hoste tenente vias potuit, sed veste gregali
308 labitur ignotus medios per tela, per hostes.
309 Hic quondam in cives diras exercuit iras
310 naturaque ferox et amore incensus habendi
311 templa domosque omnes manibus spoliavit avaris.
312 Hic postquam ad patriam venit miserabilis aulam,
313 flammato ad proceres frendens sic ore locutus :
314 "Ille ego, Flaminiae rector, Tuscosque potentes
315 qui domui ac totiens pulsavi moenia Romae,
316 foedere nunc rupto gentem vitare rebellem
317 vix potui. Arreptis meme circumstetit armis
318 vestraque combussit sceleratis atria flammis.
319 Immane heu facinus ! Lombardos funditus omnes
320 truncavit. Lambunt projecta cadavera pisces.
321 Tantum odii nostri est. Gallos accersit et una
322 mixta phalanx regnis vos pellere tentat avitis.
323 Et faciet, vestras jam Carlus possidet arces,
324 ni propere imbelles populos Gallosque superbos
325 sternamus, vel nos potius moriamur in armis."
326 Talibus accensi furiis ad bella parantur.
327 Interea Ligurum ductor Lotharius omnes
328 accersit cogitque rates Genuaeque morando
329 navibus infestis litus populatur Etruscum
330 Marsiliaeque oras vastat Rhodanique bicornis
331 ostia praedatur. Tantumque licentia crevit,
332 longius in terras ut praedatoria classis
333 auderet transferre manum subitoque timore
334 oppida bracati caperet munita coloni.
335 Quin saepe expositis Pisano in litore turmis
336 undique congressus per caeca silentia noctis
337 castra repentinis Francorum terruit armis.
338 Provida magnanimi arcebat sapientia Carli
339 insidias hostisque dolos, lectasque cohortes
340 castrorum in ponis semper vigilare jubebat.
341 Dum sic alternis demens Discordia telis
342 Ausoniam inflammat, velox penetravit Iberum
343 Scandavii orator regis cum pondere magno
344 argenti invitatque acres ad proelia donis
345 Hispanos ditiesque urbes opulentaque regna
346 ostentat praedam expositam victoribus esse
347 Italiae, restare nihil virtutis avitae
348 Ausoniis, sed enim suetos perferre catenas
349 externas. Properent tantum conjungere vires
350 crescentemque hostem perimant communibus armis,
351 occiduos populos caesis qui victor Eois
352 jam sibi despondit, turget cognomine Magni.
353 Nec mora fit, raptis telis in bella feruntur.
354 Est genus acre virum belloque assueta juvenus,
355 prodiga gens animae placidaeque inimica quietis.
356 Diva, Tagi populos memora regesque potentes
357 et, quot ab Herculeis puppes solvere columnis !
358 Non est fama recens, tenuis sed rumor oberrat,
359 et rudis illius scriptorum incuria saeculi

360 fortia facta virum Lethaeo in flumine mersit.
 361 Tu, Clio, memorare potes numerumque ducesque.
 362 Urbs Nova Carthago occidui prope litoris oras
 363 condita rostratas bis denas aequore puppes
 364 Hispano armavit, ter centum quaeque vehebant
 365 haud belli ignaros, ducit quos fortis Himilco.
 366 Et totidem eduxit naves Alfonsus, origo
 367 Arragonum regumque caput ; clarique nepotes
 368 nunc magnam Latii partem ditione gubernant.
 369 Hispalis et denas implevit milite naves,
 370 Herculeique decem Gades misere carinas.
 371 Ter quinas Rutilo instruxit sub rege Tolosa,
 372 cui Ferro cognomen erat de semine Thali
 373 Cretensis genito. Non illo fortior alter
 374 exstitit heroum, fataliaque arma gerebat.
 375 Findit Atlantiadas bis senis puppibus undas
 376 Zita ferox, Carli longe immanissimus hostis,
 377 demens qui patrias sedes opulentaque regna
 378 auriferumque Tagum et lacrimosae conjugis ora
 379 et qui sustinuit plorantes linqere natos
 380 credereque est ausus crucifixi templa Tonantis
 381 destruere et sacros Christi subvertere ritus,
 382 delebit quos nulla dies ; nullaeque procellae
 383 vexatam Petri submergent aequore navim.
 384 Quin Serpentinus Lusitanis duxit ab oris
 385 triginta plenas robusto milite pinus,
 386 impius ante omnes, solum qui caedis amore
 387 pugnabat, tantum cui dextera numen et ensis,
 388 armaque Tartareis gestabat tincta lacunis.
 389 Quin illum ut perhibent (si verum est credere famae)
 390 Tartareos latices et nigrae stagna paludis
 391 Cocytique adisse lacus matremque Megaeram
 392 marmoreoque cutem teneram durasse rigore,
 393 Cerbereumque atro stillabat ab ore venenum.
 394 Huic cibus hydra nocens incoctaque terga draconis
 395 exstitit, ut diri nomen serpentis haberet,
 396 Cerberus ut pater et mater dicatur Erinnyes.
 397 Ne quaeras, quae forma viro, quae lumina fronti
 398 sanguineae ignescant, dirae quae sibila vocis
 399 cruraque semiferi villosaque pectora monstri.
 400 Haec omnis classis primo Balearibus undis
 401 constitit, ac monitis Mambrini in litore vatis
 402 egressi multis venerantur numina donis.
 403 Purpurei reges projectos daemones astris
 404 placavere deos et tauri sanguine fuso
 405 saeva quater magicis dixerunt carmina verbis.
 406 Neptuno indomitum taurum Mambrinus aruspex
 407 jussit et egregium caedi tibi, Phoebe, juvencum.
 408 Velleribusque atris manes accersit Averni,
 409 praescius ut sciret venturi temporis horas.
 410 Quin etiam humano Lusitanus sanguine vates
 411 de ritu Scythicae foedavit virginis aras.
 412 Surgebant geminae Baleari in litore turres,
 413 Neptuno Phoeboque sacrae, quas condidit olim
 414 Asdrubal, in Latium migrans cum solvit Ibero.
 415 Hic postquam nullis potuere litare juvencis,
 416 Mambrino retinente duces frustra monente,
 417 bis centum solvere rates pelagique sonantis

418 proscindunt fluctus ; velis remisque feruntur,
 419 ut Genuae appulsos Mauros lux nona videret.
 420 Mox hinc Marsilius, terrae regnator Iberae,
 421 Bebryacos petiit selecto milite campos
 422 cum Serpentino et Rutilo cognomine Ferro
 423 cumque aliis ducibus, cum turma egressus equestri,
 424 ut sua Lombardis immanibus agmina jungat.
 425 Aequorei vero Martis traduntur habenae
 426 Asdrubali, cui summa maris concessa potestas,
 427 qui ventos omnes, caeli qui sidera norat,
 428 quodque quiescendi, quod sit magis utile pugnae
 429 tempus, et ista sagax longo perspexerat aevo.
 430 Ergo huic summa datur, cum quo Lotharius omnes
 431 adjunxit naves, totoque expellere ponto
 432 confidunt Gallos Italosque invadere portus.
 433 Hinc urget Ligurum ductor, Carthaginis inde
 434 rector, et infestis Tyrrhena per aequora rostris
 435 discurrunt servantque vices et temporis horas,
 436 siqua procul navis portu discedat in undas,
 437 ingentemque abigunt hostili a litore praedam.
 438 Ut gemini Jovis armigeri speculantur ab alto
 439 aethere veloces dammas leporemque latentem,
 440 ut pullis alimenta ferant, sic ductor uterque
 441 Tyrrhenis undis inhiabat classe parata.
 442 Talia dum fieri cernit Pipinius heros
 443 commotumque videt collectis viribus orbem
 444 in se perfurere et reges instare tremendos,
 445 somnifugas vigili versat sub pectore curas
 446 attollitque animos dictis et fronte serena
 447 spem sociis auget divino munere laetus
 448 promissisque Dei castrorum ex aggere fatur :
 449 "Fidite, magnanimi proceres, curramus ad hostem
 450 Transapenninum celeres ! Victoria nostra est.
 451 Nobiscum Deus est. Coeat licet omnis in unum
 452 orbis et aeratae circumstent mille phalanges,
 453 fulminei omnipotens teret omnis dextra Tonantis !"

454 Nec plura effatus, linqvit post terga Mugellum,
 455 Etruriae pingues campos, mox turbinis instar
 456 hostiles populatur agros scinditque nivalis
 457 saxa Apennini, sequitur quem protinus omnis
 458 auxiliaris eques telis animisque paratus
 459 vincere vel pulchrum moriendo acquirere nomen.
 460 Vix apicem longi montis transcenderat agmen,
 461 cum subito ante oculos tempestas horrida caelo
 462 insonuit, nigraeque diem rapuere tenebrae.
 463 Nec poterant pedites clivoso insistere dorso,
 464 praecipitique jugo miseranda strage ruebant
 465 cum domino sonipes. Tum densa grandine nimbus
 466 contudit ora virum. Gelidum post vellus aquarum
 467 concreta de nube ruens simul arma virosque
 468 obruit. Et stupidum sub divo constitit agmen,
 469 nam disjecta procul rapidae torsere procellae
 470 turbine terribili in rigidas tentoria cautes.
 471 Praevaluit tandem Boreas caelumque serenum
 472 reddidit, et nitido rutilans jubar axe refulsit,
 473 tollere sed frustra - visu miserabile - tentant
 474 membra pruinoso pedites concreta rigore.
 475 At mens Gallorum vigilantis provida regis

476 undique conquiri nodosae robora quercus
477 incidique jubet fagos et quicquid in illis
478 montibus occurrit lignorum. Caeditur ilex,
479 castaneae pinusque ruunt, tremit icta securi
480 fraxinus, et crebris ingens cadit ictibus ornus,
481 roboraque aggestis tollunt ad sidera ramis.
482 Mox jubet immensos per castra accendier ignes
483 et cunctis rex vina dari, quin corpus olivo
484 perfundi. Credas flammis ardescere caelum,
485 si procul in celsis videas incendia saxis.
486 Extimueret chori Dryadum, Faunisque fugati
487 antiquas liquere domos lucisque relictis
488 vicinos petiere lacus. Phaethontidos ignes
489 extimuit rursus combusta cacumina tellus.
490 Vix tandem nervi vires habuere priores,
491 ac demum rediit calefacto in corpore virtus.
492 Protinus ut credas alios, sic omnis ab alto
493 monte ruit miles, ceu praeceps vertice saxum
494 horrendo strepitu vallem defertur in imam.
495 Et primum celsa montis cervice Fananum
496 impositum expugnant, unde est in vertice trames
497 angustus, per quem Tyrrhenos itur in agros.
498 Hunc custodiri Lombardus milite saltum
499 jusserat imposito, Gallis ne pervius esset.
500 Praesidio expulso cepit Pipinius arcem.
501 Jam procul Eridanum cernunt camposque virentes
502 pascentemque gregem pinguesque in gramine vaccas
503 atque casas humiles paleis et harundine tectas.
504 Nunc ubi sublimi stat pulchra Ferrara muro,
505 tunc herbosa palus fuerat, tunc obsita dumis
506 squalebant arva et longis infesta chelydris,
507 in delta quamquam moles Labiena putatur
508 jacta prius : sed tunc vestigia nulla manebant.
509 Diruta parte alia Mutinae monumenta vetustae
510 vix tunc extabant nondum recidiva propinquae,
511 Estius unde ducum fluxit generosa propago.
512 Sicut nunc Mutina est, fabricarat moenia princeps,
513 dum reparat fessas brumali frigore vires
514 gramineo in campo sonipes. Connectere quercus
515 populeasque rates rex imperat. Ocius omnes
516 incumbunt operi, paucis ut castra diebus
517 Eridanum possint cymbis tranare paratis
518 et, quocumque velint, hostilem invadere terram.
519 Post Lepidi expugnant urbem Tannetiaque arva
520 diripiunt Lotharemque ducem, qui primus in hostem
521 incidit, obtruncant. Campis quin fertur in illis
522 occubuisse Gothos, Totilam cecidisse superbum,
523 quando Bucellinum Lombardo milite Narses
524 devicit regisque evertit castra Metensis.
525 Nicia vix equitum primum tardaverat agmen,
526 cum subito flueret violentior imbribus amnis.
527 Immisit primus tumidis Amonius undis
528 quadrupedem. Volucer ceu summa per aequora delphin
529 susceptum curvo portavit Ariona dorso,
530 sic illum sonipes per turbida flumina vexit.
531 Et socios celso ulterioris ab aggere ripae
532 cunctantesque metu compellans voce cohortes
533 increpat : "Audaces numquam fortuna reliquit !"

534 Nec mora, destricto solus trepidantia castra
535 invadit gladio. Primumque Antenore cretum
536 Pollydamanta, ducem Patavi, confodit et ingens
537 abstulit a cervice caput. Drodumque rapacem
538 praedonemque maris conjecta perforat hasta.
539 Cuspide letali fixit tibi, Foscare, pectus.
540 Non lorica triplex manibus fabricata Cyclopum,
541 non chalybe ex duro thorax, non ferreus umbo
542 letalem arcebat penetrantis cuspidis ictum.
543 Obstupuit cessitque retro conterritus hostis,
544 nec conferre manum propiusque accedere quisquam
545 audebat. Jaculis volucrique ferire sagitta
546 tentabat, Libycis ceu quondam Romula campis
547 immensum telis confixit turba draconem.
548 Acrius hoc ipso instabat Mavortius heros.
549 Non aliter stimulante fame per ovilia tigris
550 discurrit laceratque pecus pastore perempto.
551 Non tulit immanis procero corpore Theias,
552 Theias ante omnes longe fortissimus heros,
553 cujus avus Scythicis venit procul exsul ab oris,
554 cum primum infestum destrinxit Alaricus ensem
555 in Latium et miserae cepit Capitolia Romae.
556 "Quo timidi fugitis ? Non vos pudet", inquit, "ut unus
557 inclusus vestris edat tot funera castris ?
558 Sistite ! " clamabat, "Latis occurrere campis
559 vis erit, et plures, cum nunc non vincitis unum,
560 vincetis, clausum ?" Nec plura effatus, in hostem
561 irruit et validam furiali turbine cornum
562 contorsit summumque apicem cristasque rubentes
563 abstulit et longe galeae asportavit honorem.
564 Letiferumque ensem vagina extraxit eburna.
565 Cominus inde alacer victorem heroa petendo
566 nequicquam gladio clipeum percussit aenum,
567 nam chalybe e duro fatalia Lemnius arma
568 fecerat Aeoliis quondam haec Vulcanus in antris
569 Pelidae juveni Stygiaque immerserat unda.
570 Incassum crebros armis fatalibus ictus
571 ingeminat Theias, stupet ; et furialibus iris
572 efferus ingenti gladium conamine vibrat,
573 quo duras cautes solidoque ex aere columnas
574 fregisset. Sonuit tantum Vulcania cassis.
575 Non tot ferventes agitato sulfure candens
576 Aetna vomit flammis, si quando fulmina tundit
577 in vasta irato Steropes fornace tonanti,
578 quot tunc scintillas effudit aeneus umbo.
579 Quanvis mille premant dextrae, quin turbidus aer
580 noctescit telis, tamen imperterritus heros
581 Francorum perfert omnes Amonius hostes.
582 Circum tela ruit flectitque rotatque volantem
583 quadrupedem et cuneos et gyros dissipat ense.
584 Instat atrox Theias collatisque impiger armis
585 bella movet. Crebris reboat tinnitibus aer.
586 Hinc Theias, hinc turba premit, nec sufficit umbo
587 ictibus, et salsus per membra madentia sudor
588 magnanimo Ajaci decurrit fluminis instar,
589 sanguinis et rivus fracto e thorace fluebat.
590 Barbarus inde ferox dictis insultat amaris :
591 "Quo periture ruis ? Quae te vecordia cepit ?

592 Quis deus eripiet nostris te, perfide, dextris ?
 593 Non hic imbelles Parthos Arabasque fugaces
 594 invenies ! Dabitur tellus, quam stulte petisti !
 595 Alitibus saevisque lupis hic praeda jacebis !"
 596 Ille nihil contra, sed stricto fulminat ense.
 597 Non ita prorumpit densas bombardas cohortes
 598 fulmineo crepitu, cum denso emissa metallo
 599 sulfure flagranti longe volat ignea moles.
 600 Sed jam fessus erat, crebraeque utrimque phalanges
 601 ceu validam turrim densa cinxere corona.
 602 Non fugere ira sinit, non ultra tendere virtus
 603 jam potis. Et nostrum Titan demersus Olympum
 604 trans Calpem occiduo ponto fumantia plaustra
 605 mergebat, terramque umbris nox atra tegebat.
 606 Instabat Lombarda phalanx telisque minisque
 607 terribilis nec abire sinit mortemque minatur.
 608 Quod nisi Bucephalus celeri super agmina saltu
 609 Christicolam retro fessum vexisset et amnem
 610 tranasset pernix per mille sequacia tela,
 611 confossus vitam castris posuisset in illis.
 612 Saepeque respectans torsit minitancia frenas
 613 infrendens gladio remeaturumque minatur.

XI

C_11 v.1 At Latii Argivos diverso in litore Locros
 2 interea appulerat gentis regnator Eoae,
 3 Africa cui paret tepido contermina Nilo,
 4 cui Phenix variusque Cilix, cui paret Idume
 5 palmosa et radiis solis flammata Syene,
 6 rex Agolas natusque simul, fortissimus Almon,
 7 innumeros pedites ductans equitumque catervas,
 8 ut vix rostratae caperent hos mille carinae.
 9 Non tot Phrixum latuit sub navibus aequor,
 10 cum defecerunt potanti flumina Persae.
 11 Haec ubi percepit Pipini magnus alumnus,
 12 accersit proceres media de nocte jubetque
 13 Orlandum Boviumque, duces, fortemque Caponem
 14 carpere iter ; lectosque equites peditesque volantes
 15 deducant, celeri ut raptim compendia cursu
 16 pervolitent Latiique Arabas Diomedis ab Harpis
 17 expellant, vacuas Calabrum ne diruat urbes,
 18 ne petat interius junctis exercitus armis
 19 Barbarus Ausoniam. Tunc incurabile vulnus,
 20 si se Scandavio Garamas cum milite jungat.
 21 "Dum nox atra polum nigranti involvit amictu,
 22 Maturetis iter famamque anteire paretis,
 23 ut venisse prius, quam motos audiat hostes.
 24 Non tuba, non lituus, tribuat non buccina signum.
 25 Ac superimpositis radiantia vestibus arma
 26 condite, ne vestris quisquam conatibus obstet."
 27 Nec plura effatus. Celerant et jussa facessunt.
 28 Viginti lectas ex omni robore turmas

29 adduxere duces. Rapidi mox turbinis instar
 30 carpsit iter velox plantis pernicipibus agmen.
 31 Non aliter volucres reserato e carcere currus
 32 prorumpunt inter Pisas atque Elidis arces.
 33 Post ubi Dardanii conjux formosa mariti
 34 alipedes frenavit equos currumque volentem
 35 impulit ascendens Pygmaeo a litore Phoebus,
 36 Francorum proceres circa praetoria Carli
 37 armati stabant pugnamque subire parati.
 38 Nec mora, puniceam suspendit pertica vestem,
 39 letiferae signum pugnae, lituique sonori
 40 horrendo clangore ciunt in bella phalanges.
 41 Primus init pugnam Medices comitante cohorte
 42 Syllani generis tumidumque internatat amnem.
 43 Gramineisque hostem ripis deturbat et ense
 44 stipatum faciente viam diverberat agmen.
 45 Cessit prima cohors longe statione relicta,
 46 insequitur Syllanus eques turmamque secundam
 47 invadit, gladios clypeosque cruore rubentes
 48 ostentat pavidisque instat retroque repellit.
 49 Mox alii proceres atque omnis Celtica pubes
 50 trans fluvium vexilla ferunt et Marte secundo
 51 Scandavias caedunt acies. Princepsque Rinaldus
 52 immemor haud palmae hesternae prorupit, ubi ingens
 53 concursus regum et major desaevit Erinnyis,
 54 Bucephali invectus dorso mediosque per hostes
 55 irruit ac densas scindit laceratque catervas.
 56 Ceu feta Hyrcano prodit cum tigris ab antro,
 57 Armenias populatur oves, sic Martius Ajax
 58 sanguineo gladio clipeata per agmina fertur.
 59 At contra Bostar Libycis advectus arenis,
 60 squamosae cujus pellis detracta draconi
 61 instar thoracis villosum pectus obibat,
 62 Francorum insanus vocat in certamina regem.
 63 Obvia quaeque metit bellatricemque cohortem
 64 Tuscorum aggreditur reprimique furentia tela.
 65 Et primum obtruncat Bardum, qui signa ferebat,
 66 Marcelloque caput, Tyrrhenae stirpis alumno,
 67 abstulit, et truncus cecidit foedatus arenae,
 68 germanum juxta Garamantis cuspide fixus
 69 occubuit. Retroque gradum conterrita turma
 70 vertit, nam densis illuc Desiderius armis
 71 irruit et pilis Teias metuendus ahenis.
 72 At Florentinae ductor fortissimus alae
 73 nunc prece, nunc dictis virtutem accendit amaris :
 74 "Non haec, o socii, Carlo promissa dedistis !
 75 Siccine terga datis ? Quis vos timor urget inertes ?
 76 Hi sunt, Ausoniam qui destruxere tyranni !
 77 Sustineas paulum, miles, dum transeat omnis
 78 Francorum legio ! Laus et victoria vestra est !"
 79 Nec plura effatus, Carbonem signa ferentem
 80 regia confodit. Firmatur Tusca juvenus
 81 exemplo ducis. Ante alios Corsinus, et acer
 82 Albitus obtruncat genitum de stirpe Cleonem
 83 Vandalia, cujus majores moenia quondam
 84 Arreti atque ipsam prostrarunt funditus urbem.
 85 Conveniunt proceres ; ferme omnis Martius ardor
 86 illuc versus erat. Furiali pertonat ore

87 Scandavius rector : "Tuscam, Lombarde, cohortem
88 ante oculos prosterne meos ; dominoque rebellis
89 det meritas poenas ! Viles interfice servos !"
90 Evomit haec ardens Tuscumque erumpit in agmen
91 Albertique caput geminato perforat ictu
92 et Medici telo galeae decussit honorem
93 perstrinxitque levi Corsini vulnere pectus.
94 At non Panzanus nudo Bindaccius ense
95 terga dedit. Regemque petit primumque Trevellum
96 signiferum sternit. Mox ipsum cominus armis
97 rectorem aggreditur. Scindit mucrone trilicem
98 lorica, gaudet Lombardi sanguine viso.
99 "Non impune ferēs !" exclamat barbarus hostis
100 egregiique femur juvenis transverberat hasta.
101 Occidit et prima bellator Circulus ala.
102 Quin et Compagnus germani morte Perini
103 fervidus in regem nequicquam fulminat ense.
104 Et gemini fratres, tua, Canisiane, propago,
105 Sarmatica cecidere manu. Discrimine summo
106 jam stabat Syllanus eques saeptusque corona
107 Scandavia, ut nullus patrias remeasset ad oras,
108 ni propere audita concisae clade cohortis
109 sexcentos equites ex omni robore lectos
110 misisset subitoque una Pipinius heros
111 ceu fulmen densas aperit mucrone catervas.
112 Turpe putans belli Tuscos virtute calentes
113 deserere haud meritos volucris volat alite vectus.
114 Sed furit ante omnes rubicundo Amonius ense :
115 spumeus Eridanus veluti ruit aggere fracto
116 avulsasque trahit segetes, armenta casasque,
117 Belgicus haud aliter Lombarda per agmina fertur
118 Ajax. Et primum Mauri ferit inguina regis,
119 Asdrubalis qui frater erat, cui mille carinae
120 atque omnis ponti fuerat mandata potestas.
121 Prostrata ut vidit Tyrrheni signa leonis,
122 condoluit miserans tollique jacentia jussit
123 vexilla et simul exclamat : "Syllane, timorem
124 depone et poenas scelerato ex hoste repende !"
125 Francorum huc omnes volitant cum rege phalanges !"
126 His dictis crevere animi, et spes suscitatur iram.
127 Instant ardentes, et cogit vertere terga
128 Florentina cohors hostesque in castra repellit.
129 Et possunt, quia posse putant. Praesentia regis
130 urget, et ante oculos ductoris bella geruntur.
131 At Vercellensis turmae praefectus Alastor
132 in densos fert arma globos multosque trucidat.
133 Connubioque ferox et spe inflammatus inani
134 jam sibi Gallorum dites devoverat urbes.
135 Ingenti clamore ruens disjecerat alas
136 Romuleas. Caesis ducibus converterat agmen.
137 Parthenopes cecidit moribundus Coxia rector,
138 terga Faventinus ductor formidine vertit,
139 sed frustra : renes fodit fugientis Alastor.
140 Vidit ut Ausonios Lombardis cedere turmis
141 Adimar Ulveriusque, duces, exclamat uterque :
142 "Sistite, magnanimi socii, gladiisque salutem
143 quaerite ! Fulmineis paritur victoria dextris !"
144 Nec plura, in medios alacer Burgundius hostes

145 dux ruit et jacta confodit Alastora quercu.
 146 Igneus in Luscum jecit validam Adimar hastam,
 147 quae clipeum et thoraca et pectus perforat ingens.
 148 Vicentina phalanx fugit rectore perempto,
 149 barbaraque Ausonius rursus premit agmina miles.
 150 Non ita nimborum tempestas acta procellis
 151 insonat, adversis siquando flatibus Eurus,
 152 hinc Zephyrus Corusque fremunt, salit horrida grando
 153 in segetes, sternit miseri sata laeta coloni.
 154 Nervius irruerat magno stridore manipulus,
 155 Bellovacusque ferox densos penetravit in hostes.
 156 Nec jam missilibus, sed stricto cominus ense
 157 pugnatur, magnis reboat clamoribus aether.
 158 Per medios furibunda viros discurrit Erinnys
 159 verbera vipereis torquens horrenda chelydris
 160 Tartareaque canit feralia murmura concha.
 161 Condunt tela diem, tellusque aspersa cruore
 162 visceribusque natat. Non unica mortis imago :
 163 Thermodontiaco ritu gerit ille securim,
 164 ille venenatas Parthorum more sagittas
 165 torquet, non una contentus spicula morte.
 166 At pilis gladiisque ferox Romanus alumnus
 167 bella gerit spernitque mori pro laude perenni.
 168 Quin etiam Balion, fraterni vulneris ultor,
 169 Buldrinusque acer letali perfurit orno,
 170 Braccius atque una Gratianus originis auctor
 171 egregiae densos fertur moriturus in hostes.
 172 Roggeriusque Canis, Venetas qui rexerat alas,
 173 hactenus atque alii Perusina ex urbe profecti
 174 innumeros stravere viros. Dacisque fugatis
 175 inter concisos Ligurum cecidere manipulos.
 176 Mole gigantea Gessatum a sanguine pubes
 177 inter Lombardos horrentia bella ciebat
 178 terribilesque jubas variarum mille ferarum
 179 aere super nitido levaque ancile gerebat
 180 lunatae in formam peltae, sed cetera nuda.
 181 Non erat huic gladius, sed grandia robora quercus
 182 nodosae, quis sueta fuit prosternere turmas.
 183 Prodigia gens animae placidaeque inimica quietis
 184 Francorum turbabat opes. Jam terga dedisset
 185 auxiliaris eques, magna ni concitus ira
 186 signiferum primo Carlus stravisset Othonem
 187 adventu. Gemuit collisa cadavere tellus.
 188 Cujus sanguineo fecundis hydra colubris
 189 picta fuit signo, subter Lerneius humor,
 190 villosaque feri munitus pelle leonis
 191 vipereo Alcides foedabat sanguine clavam.
 192 Mox ruit in densos equites Sipedisque cohortem
 193 prosternit latamque viam facit agmine caeso.
 194 Ast ubi Gessatae Carlum videre furentem
 195 percussosque metu Alanos trepidare nec ultra
 196 instantem sufferre ducem, dare terga manipulos,
 197 eminus horrendis urgent clamoribus hostem
 198 magnanimum. Et validis jaculantur saxa lacertis
 199 totaque contorquent decisis robora ramis
 200 congestisque tegunt trabibus, ceu turba biformis
 201 obruit Emathiis pugnantem Caenea campis.
 202 Fatifero at Carlus furibundos ense gigantes

203 dissipat, Anthaeo caput a cervice revulsum
204 dejicit et flava moribundum fundit arena.
205 Dividit inque duas immania corpora partes
206 pugnacis Pholoi. Cecidit quoque saevus Ataldus,
207 Baltea progenies, Lombarda ex matre creatus,
208 cui falsus longos vitae promiserat annos
209 victori et vana miserum spe luserat augur
210 spes hominum fallax, venturi haud praescia saeculi.
211 Talia dum victor per campos funera Carlus
212 misceret, turpi verterunt terga pavore
213 Lombardi. At saevus furiali turbine Theias,
214 "State, viri !" exclamat, "faciem convertite in hostem !"
215 Comprensisque Herulum fugientem sistit habenis.
216 "Non pedibus quaerenda salus, timidissime, rerum !
217 Dat gladius laudem, tutam dat dextera pacem !
218 Pulchrius est fortes patriis occumbere campis,
219 quam semper miseram servare in carcere vitam !"
220 Dixit et adverso gladium sub pectore condit.
221 Inde alios trucibus fugientes increpat iris
222 instabatque ferox nec vertere terga sinebat.
223 At laeva immitis pugnabat parte Gilulphus
224 quadrjugo vectus curru, quem fluminis Istri
225 accola Pannonius Rosimunda ex matre crearat
226 Arthemius. Longis illum Desiderius oris
227 excierat multoque virum donaverat auro
228 pluraque pollicitus Francorum ditia regna,
229 si caesum aut captum dederit victoria Carlum.
230 His alacer donis et spe inflammatus inani
231 Syllanum obtruncat Paulum Gallumque Diurcem
232 Vortigenumque ducem Pictonum. Concidit Octar,
233 regia progenies Hunnorum, Thermo doontis
234 non procul a gelidis genuit quem Durithus undis.
235 Turbatus laceratus equis curruque sonanti
236 perfractus, supraque caput rota fervida tracta est.
237 Ter centum a laeva stridentia plaustra Biordus,
238 Scandavii regis gener, a radicibus Hemi
239 ducebat, latis ubi purior area campis
240 monstrat iter, senos pugnantes singula portant.
241 Et dociles, quocumque libet, per gramina gyro
242 flectit equos torto dominumque auriga monentem
243 audit et imperio pugnantis vertit habenas.
244 Hi magnam ediderunt stragem Tuscamque phalangem
245 Alpei populi delerant sospite tantum
246 Lanfranco, primus tribuit qui nomina genti.
247 Jam Perusina cohors falcatis obruta plaustris
248 conciderat, trunco periit Cerbonius ore.
249 Arreti occisis ducibus miserabile vulgus
250 errabat, pecudes veluti pastore perempto.
251 Fulminat egregiis Carlo notissimus armis,
252 Saxone qui caeso juvenis cognomen adeptus
253 clara dedit Tuscae Saxettus nomina proli.
254 Per medios cuneos hostili sanguine rorans
255 Massiliae regem transverberat ense Syphacem
256 Conobique femur terebrat mucrone Britanni,
257 perfidiaeque luit scelerato sanguine poenas.
258 At princeps Medices audita clade suorum
259 flectit equum aeratis fodiens calcaribus armos
260 sanguineoque aciem gladio scindit. Via ferro

261 fit ; reserat densas stricto mucrone catervas.
262 Advolat Ulverius, simul huc Uggerius heros.
263 Et primum immitem Rhipaeo a vertice Bledam,
264 Hunnorum sobolem nulli feritate secundum,
265 obtruncant, cui forma brevis tum pectore lato,
266 nare fuit simo taetri tum rara coloris
267 barba, caputque oculis fuerat prae grande minutis ;
268 sic illum perhibent Atilae de semine cretum.
269 Extremoque ruens nequicquam Alemannus ab Albi
270 confossus vitam Latiis efflavit in agris.
271 Adimar ante omnes nudo volat igneus ense,
272 quo major belli moles majusque periculum
273 urget, et egregiam quaerit per vulnera mortem,
274 ut leo terribilis medios prorumpit in hostes.
275 Sarmaticamque alam Ganus Quadosque feroces
276 aggreditur natusque simul, Ponteriaque omnis
277 turba duces sequitur, quo non praestantior alter
278 Francorum fuerat juvenis pietate vel armis
279 dissimilisque patri, reditum cui fata negarant.
280 Caesarum tamen ingentes Albertus acervos
281 liquit in Italia aeterni monumenta tropaei.
282 Barbarus at Theias, catulis ut tigris abactis
283 venatoris iter rictu truculenta minaci
284 insequitur, Tuscum haud aliter defertur in agmen.
285 Nec non Gessatae magno clamore ruentes
286 depulsis Italis Gallorum signa petebant.
287 Forsitan hac esset clades in parte recepta,
288 robora ni sacrae propere huc cum rege phalangis
289 irruerent Magnique comes Mavortius Ajax,
290 terribiles qua parte videt fervere gigantes.
291 Ceu duo falcones rapido stridore per auras
292 hinc atque inde premunt pavidas sub nube columbas,
293 sic densas ambo rumpunt mucronibus alas
294 dilacerantque globos Gessatarumque catervas.
295 Victores victique cadunt. Jam plena cruore
296 terra natat, nec sistit eques per lubrica prata.
297 Collisi intereunt pedites, - miserabile visu ! -
298 Ferrati calcant spirantia pectora currus,
299 impediuntque fugam numerosa cadavera. Nec, quo
300 mentis inops vertat, cernit vestigia miles.
301 Mortis ubique pavor, strepitus gemitusque cadentum.
302 Hinc litui incurvi resonant clangorque tubarum,
303 hinc saevum accendunt horrentia tympana Martem.
304 Caucaseaeque ferae dorso Mors pallida vecta
305 falce metit populos ducitque in Tartara caesos.
306 Vidit ut alterno pugnam nutare periculo
307 Francorum rector mirandaque fulmina Theiae
308 Gessatasque feros tanto pugnare furore
309 rursus et infestis Dacos concurrere telis,
310 Albanum accersit bellatricemque cohortem.
311 Mox inquit : " Virtute opus est, generose Rinalde !
312 Festinemus opem fessis adducere rebus !
313 Duc tecum electos equites ! Mihi regia turma
314 serviet, et solum speculabor in agmine Theiam."
315 Dixerat et densos alacer rex fertur in hostes.
316 Nec non Albanus magna vi concitus Ajax
317 viginti turmis equitum per mille cohortes
318 irruit, ut fulmen per tela furentia labens

319 dat laeto sternens, quodcumque occurrit et obstat.
 320 At non audaces retro cessere gigantes :
 321 ultro animos tollunt. Primumque ingentia saxa
 322 conjiciunt magnisque hostem clamoribus urgent.
 323 Terrigenae ut quondam jaculati pondera montis
 324 cum Jove conseruere manus (silvisque revulsis
 325 nudus adhuc monstrat Phlegraeus funera vertex),
 326 sic Gessatarum circum fera turba Rinaldum
 327 perfurit. Ille tamen tectus fatalibus armis
 328 Sarmaticas acies caedit. Nec Gallio, quamvis
 329 Herculeum aequarit procero corpore robur,
 330 letiferae potuit vitare pericula dextrae.
 331 Occidit Ardurius longe fortissimus unus
 332 Albicolae turmae tardi sub sidere plaustris,
 333 quique humeris latis spirantem ferre juvencum
 334 cumque fero solitus fuerat pugnare leone.
 335 Occidit Eurydimes vates, Neptunia proles,
 336 pressaque congemit spatioso corpore tellus.
 337 Sternitur et Theras et diis invisus Acastus.
 338 Non majore ruunt pinus e montibus altis
 339 in vallem strepitu, quam immania membra gigantum.
 340 Parte alia victor majori mole premebat
 341 Theias, horrendumque truci manabat ab ore
 342 murmur. Et egregiae secum bis quinque puellae
 343 Thermodontiaco ritu duraque bipenne
 344 armatae Ausonidum foedabant sanguine campos.
 345 Femineos sed enim celarant casside vultus
 346 laevaue condiderant lunatis ubera peltis.
 347 Hae tunc aggressae venientem in proelia Carlum
 348 spicula laetiferis torserunt tincta chelydris.
 349 Agmine mox facto stricta cinxere corona,
 350 quarum ingens Tamyris summo de vertice conum
 351 excussit regi vibrans immane securim.
 352 Tunc vero exarsit, virtusque immissa furori est.
 353 Obvia cuncta neci dat Carlus, saevit in hostes
 354 stridentique omnes prosternit Amazones ense.
 355 Octorium Teudamque, duces, confodit Horestem,
 356 Thessala cui mater, genitor cui Dacus Amongus.
 357 Jam cecidit Clephes poenasque e crimine sumpsit,
 358 nam scelere ante alios fuerat crudelior omnes,
 359 diruta cujus avus Corneli moenia versi
 360 condidit et nomen genti mutavit et urbi.
 361 Barchionis rector Zato dirique sacerdos
 362 Maumetti densam Francorum fertur in alam.
 363 Nequicquam in regem ferratam conjicit ornum
 364 vaginaque ferox gladium denudat eburna
 365 ac verbis demens in Carlum exultat amaris :
 366 "En Maumette, tibi mactatur victima Carlus !
 367 Nunc cadet ille tui sceleratus nominis hostis !"
 368 Dixit et ingenti thoracem percutit ictu.
 369 Ceu rigidas cautes solidumque adamanta feriret,
 370 insonuit thorax, et fractus corrui ensis !
 371 Cui rex letali subridens intonat ira :
 372 "I nunc Tartareos manes visure, sacerdos,
 373 hostia viperei Ditis, non hostia Christi,
 374 ut cum sacrilego semper cruciari tyranno !"
 375 Nec plura, immisso rupit praecordia ferro.
 376 Transfossusque uno cecidit Mauritius ictu,

377 siderei qui templa Dei spoliaverat auro.
378 Corruit ingenti laceratus Isatius hasta,
379 umbraque discessit Stygias subitura lacunas.
380 Ast ubi Maumetti Hispanum simulacra per agmen
381 vidit et ante oculos signis effulxit imago,
382 ingemuit lacrimans Francorum maximus heros
383 et Tartessiacas stricto mucrone catervas
384 dissipat atque hostes Christi violentius urget.
385 Ceu stimulante fame Massila per arva juventas
386 mane leo insequitur fugientes, instat anhelis
387 erectisque jubis saltu micat ocior Euro.
388 Dum medias acies percurrit, barbarus Halys
389 exclamat : "Pugmate, viri ! Dedit omina laeta
390 delerique hodie Francos promisit aruspex !
391 Haec nos Tarpeiam victoria ducet in arcem !"
392 Talia nequicquam dum jactat in agmine demens,
393 vocis iter guttur letalis clausit harundo
394 praeripuitque udo verba imperfecta palato.
395 Dux Ligurum et numquam Francis Grimoaldus amicus
396 Nestorei cecidit confossus cuspede Nami.
397 Infidus patriae et numquam sine fraude Fregosus
398 Bavaria occubuit dextra. Hac quoque caesus Adornus,
399 qui legionis erat Ligurum praefectus equestris.
400 Quis numerare ducum caedes et funera posset
401 caesorum ? Tellus atro jam plena cruore,
402 plena cadaveribus cursum impediabat, et alta
403 congeries equitum peditumque admixta jacentum
404 victores victosque simul tardabat. Ubique
405 horror erat, stratusque omnis Gessata jacebat.
406 Quam Ligurum stragem, quam regia turma procellam
407 Lombardae gentis dederat ! Prostrataque signa
408 aut capta abstulerat Carli Mavortia pubes.
409 Sarmata pugnabat, genus insuperabile bello.
410 Huic Sipedum conjunctus eques Quandique feroces,
411 quos Longobardus multo conduxerat auro
412 jam pridem in Latium gelidis Aquilonis ab oris.
413 His contra Gallos nequicquam fortiter usus,
414 namque equitum saeptus viginti millibus heros
415 Celtarum irrumpit, densas ubi conspicit alas.
416 Jam cessere loco Sipedes Butheone perempto,
417 Sarmaticae qui ductor erat Sipedumque catervae.
418 Potatorque Vadi glacialisque accola ponti,
419 dux Herulae gentis, transfixus corruit Occus
420 Ulverii telo. Non hoc immanior alter
421 barbarus exstiterat : natis et conjuge caesa,
422 quae soror et conjux fuerat, bacchatus in omnes
423 agnatos dira foedarat caede penates.
424 Vidit ut afflictis nullam superesse salutem
425 fulmineus Theias stragemque fugamque suorum
426 Francorumque ducem conspexit Marte secundo
427 defurere in victos hibernae grandinis instar,
428 accensus subito furialibus aestuat iris.
429 Ceu pardus densa venantum indagine saeptus
430 mandit anhelanti frendens venabula rictu,
431 nec fugere ira sinit, virtusque repingit in hostem,
432 Barbarus haud aliter densis circumdatur armis,
433 nequicquam stricto scindit mucrone coronam.
434 Quem contra infesta subiit Pipinius hasta

435 collatisque armis et stricto cominus ense
 436 aggreditur. Stat contra hostis telumque coruscat
 437 et prior ingenti letali turbine cornum
 438 conjicit. Hanc longe propulsat ferreus umbo.
 439 Laetifero at Carlus Theiae fodit inguina ferro,
 440 mox caput et galeam geminato discidit ictu,
 441 caesorumque inter cecidit moribundus acervos.
 442 Jam nox obscuro terram involvebat amictu,
 443 perstabat tamen in saevo certamine Martis
 444 Carlus et ereptos tenebris nigrantibus hostes
 445 dequestus tutamque fugam praebere latebras
 446 nocturnas, quin nullus erat sine sanguine miles
 447 strenuus. In seram venit victoria noctem.
 448 At Longobardus nota regione viarum
 449 effugiens glomerabat opes lacerosque manipulos
 450 dispersasque legens telis ac voce cohortes
 451 exornat pulsosque metu confirmat et arces
 452 stipat frumentis et fido milite replet.
 453 Nec non interea Pipini magnus alumnus
 454 castra vigil lustrat. Quamvis sudarit in armis,
 455 quam lux longa fuit Maii, tamen omnia per se
 456 exquirat positoque jubet custode sileri.
 457 Vix gelidas noctis tenebras Aurora fugarat,
 458 cum subito egressus princeps tentoria Carlus
 459 aethereo fert sacra Deo, votisque peractis
 460 jussit humi egregias animas et corpora caesa
 461 abscondi et merito donari mortis honore,
 462 quae tantum peperere decus. Primusque sacerdos
 463 Turpinus sacra redimitus tempora mitra
 464 et niveam vestem et caelestem indutus amictum
 465 divinum cecinit carmen sacroque liquore
 466 ter lustrans caesis requiem sine fine precatur.
 467 Mox rex Francorum solio sublimis in alto,
 468 unde omnes spectet proceres turbamque minorem,
 469 lumina ter circum flexit vultuque sereno
 470 pauca refert : "Socii, in manibus victoria vestris
 471 pendet. Pugnatum satis. Immortale tropaeum
 472 praeda ingens vobis nullo discrimine restat."
 473 Dixit et insignes praestanti munere donat
 474 rectores meritoque omnes decoravit honore.

XII

C_12 v.1 Interea emensus celeri compendia cursu
 2 Orlandus Calabros saltus et Daunia rura
 3 contigerat ; cernit fumantia culmina montis
 4 Gargani et flammis hostilibus arva cremari
 5 subversasque videt sacrati numinis aras
 6 templaque barbarico penitus convulsa furore.
 7 Constitit et magno Christi inflammatus amore
 8 intonat : "O socii, labem exstirpate nefandam !
 9 Dedecus hoc vestris Latio propellite dextris !
 10 Et dubitamus adhuc pro religione merere,

11 pro Christo pulchram pugnando quaerere mortem ?
 12 Mors pariet caelum aut vobis victoria laudem !
 13 Nobiscum Deus est ! Alacer rue, miles, in hostem !
 14 Terga dabit, victus totiens. Nunc promite robur,
 15 quod Syrii experti, rubrique quod accola ponti !
 16 Impius ecce hostis, satiate cruoribus enses,
 17 ut secura quies longum pariat in aevum !
 18 Formidet posthac Italos vexare colonos
 19 Ausoniosque lares invadere barbara pubes.
 20 Abditus Arctoo teneat se Burgarus antro,
 21 mollis Atlanteo claudatur litore Maurus,
 22 et timeat Medus posthac transcendere Taurum.
 23 Eia age, vince omnem, miles, virtute laborem,
 24 ut duplicata feras felicis praemia belli !
 25 Ipse adero testis, referam facta inclyta Carlo."
 26 His animi incensi dictis in proelia currunt.
 27 Non secus Aeolio reserati carcere venti
 28 certatim Ionios tollunt ad sidera fluctus
 29 turbineque impellunt in saxa latentia naves.
 30 Fit strepitus, stridet pontus, tonat arduus aether.
 31 Obvius his primum fatis adductus iniquis
 32 venit Aron equitum magna comitante caterva
 33 Maurorum, Christi quo non immanior hostis
 34 alter erat, qui templa Dei, qui virginis aras
 35 Christiparae immisso penitus vastaverat igne.
 36 Hunc ubi pulvereis venientem vidit in arvis,
 37 letali irrupit gladio Mavortius Hector.
 38 Non aliter taurum aspexit cum feta leaena,
 39 rugit hians rictusque apprendit terga juveni
 40 horrendoque armos supra stat pendula morsu.
 41 Non triplicis tegmen chalybis, non cuspidis ictum
 42 defendit clipeus, quin per praecordia ferrum
 43 disrupto thorace prius penetraret, et ultra
 44 tranaret trepidus perfosso pectore mucro.
 45 At furit immanis fraterna morte Mahalbar
 46 ingentemque hastam moriturus torsit. At illa
 47 nequicquam in summo clipeo tremebunda pependit.
 48 Ast Orlandus idem furiali turbine telum
 49 in Maurum jecit dictisque affatur amaris :
 50 "En recipe hoc munus, quod te deducet ad undas
 51 Tartareas, fratremque tuum comitare cadentem !"
 52 Nec plura ira sinit fari, trajectaque cernit
 53 pectora, ceu nudo pugnaret corpore Maurus.
 54 Exanimata fugit prostrato rege caterva.
 55 Instat atrox tergis fugientum Belgicus heros.
 56 Nec mora nec requies. Totoque agit aequore victor
 57 praecipites, periitque adverso vulnere nullus.
 58 Pervolat ante omnes nudo Capponius ense
 59 alite vectus equo, fugientem apprendit Amonem
 60 detractaque secat pendentia casside colla.
 61 Accensus ducis exemplo volat omnis in hostem
 62 Florentinus eques. Paulus Victorius Arsen
 63 obtruncat ; longe fuerat ditissimus auri,
 64 qui Libycum innumeris campum vertebat aratris.
 65 Diffugiunt equites Mauri ; sed provida cura
 66 Orlandi electam in saltum praemiserat alam.
 67 Qua rebatur iter divortia tuta, cohorte
 68 occupat et multa silvarum condidit umbra,

69 excipere insidiis nemorosa per avia lapsos
 70 ut posset, ne quis cladis sit nuntius hosti.
 71 Haec demum stragem fecit cunctosque peremit.
 72 Non procul Adriaci castellum in litore ponti
 73 stabat praecisi sublime in vertice saxi,
 74 in qua praevalidis religatos colla catenis
 75 Christicolas saevus conjecerat arce Thibaldus,
 76 quos victor patrias exportaturus ad oras,
 77 servitio ut premeret longo Petraeus heros.
 78 Hoc ubi cognovit Milonis fortis alumnus,
 79 vix lectis spoliis properatis advolat armis
 80 moeniaque aetherei scandens sublimia montis
 81 primus anhelantem celsa de rupe cohortem
 82 increpat ut tardam solusque e montibus hostem
 83 dejicit et signum victor suspendit in arce.
 84 Mox Italos vinclis et duro carcere solvit
 85 armaque caesorum, galeas ocreasque nitentes,
 86 induere hortatur justamque accendit in iram.
 87 Primaque terribiles sensit Tollentia motus
 88 eversa et caelo Rotani minitancia saxa.
 89 Quid non expugnat virtus ? Vultaria quassis
 90 fumavit muris, licet alto in vertice collis
 91 turribus aethereis sublimia tangeret astra.
 92 Rossetique arces Falconisque ardua moles
 93 Francorum minime potuit tardare furorem.
 94 At postquam coepit primo aspirare labori
 95 fortuna, et Mauros vidit dare terga paventes,
 96 decrevit paulum requie donare cohortes
 97 et cursu et pugnis fessos Mavortius Hector.
 98 Exploratores donec sibi certa reportent,
 99 quos animos habeant, quas vires praeferat hostis,
 100 exspectat noctesque dies vigil omnia lustrat.
 101 Sed mora parva datur, nam rupto carcere Samnis
 102 advolat et monstris trepidantes nuntiat hostes,
 103 explorator idem munirique aggere castra
 104 defert, ut saevis exercitus excubet armis,
 105 et spectare fugam. Subito jubet arma parare.
 106 Adriaci Ionique maris jacet insula meta
 107 Garganum contra, Diomedis nomine dicta,
 108 quam fautrix habitat Danais miranda volucris.
 109 Haec eadem externos infensis territat alis,
 110 unde suum coepit tellus circumflua nomen.
 111 Ingentem hic praedam gentis regnator Eoae,
 112 argenti hic Agolas pondus congegit et auri
 113 et late infestis servabat puppibus aequor
 114 Ionium, ut reditus facilis tutique regressus
 115 essent, urgeret si vis Mavorsque sinister
 116 ingrueret. Jam dira Deus portenta futurae
 117 signa dedit. Foedis manare est Aufidus undis
 118 visus et Adriacum foedavit sanguine pontum.
 119 Regiaque informis supra tentoria bubo
 120 edidit Almonis feralia carmina noctu,
 121 excubiisque lupi caesis per castra vagantes
 122 turbavere feris trepidas ululatibus alas.
 123 Quin nive candidior volucrique citatior Euro,
 124 quem Scythiae princeps Rhipaeique incola montis
 125 Almoni dederat nullius terga ferentem
 126 sessoris, quo victor equo fortissimus Almon

127 Persepoli edomita montana ad Bactra cucurrit,
128 concidit exanimis, cum ruptis liber habenis
129 nequicquam celeri lustrasset devia cursu.
130 Necnon Dardanii visi procedere manes,
131 fulmineus Paulus truncoque Minucius ore
132 sanguineisque acer stabat Servilius armis,
133 clamabant venisse diem, quo perfida tandem
134 Africa persolvat scelerato sanguine poenas
135 inferiasque umbris et saeva piacula solvat.
136 Talibus attoniti visis monstrisque futurae
137 cladis supremi tentare pericula belli
138 horrebant, donec redeat consultus haruspex,
139 qui sacram Amonis jam dudum missus ad aedem
140 cornigeri exposuit perplexa oracula monstri :
141 "Oenidae ac Dauni terram vitare memento,
142 o Libs, et Phrygio quondam saturata cruore
143 arva reformides. Tusci procul arma leonis
144 effugias Rhenique genus Rhodanumque bicornem.
145 Non aliter victor Sebenytica rura videbis."
146 Saucius interea Celiordes nuntius affert
147 funditus extinctos Mauros direptaque castra,
148 venisse Orlandum, similis cui robore nullus
149 exstitit heroum, nulli prudentia major,
150 Syllanosque equites, Romanae stirpis alumnos,
151 Daunia conjunctis Gallis volitare per arva.
152 Nondum finierat, cupientem annectere plura
153 deseruere omnes, specula nam protinus alta
154 eminus aequalem sublato pulvere nubem
155 attolli cernunt. Conclamant ! Itur ad arma ;
156 pars infrenat equos ; pars curribus insilit altis ;
157 pars propere arreptis contra volat obvia telis,
158 armatae ut possint pro castris stare phalanges.
159 Dic mihi, Calliope, quis tunc exercitus arvis
160 Aetolis contra Francos sudarit in armis,
161 quotque viros quantosque duces Milonius ensis
162 fregerit ? Hunc, oro, nobis concede laborem,
163 ut per me seri noscant haec bella nepotes.
164 Parthorum princeps Agolas adduxerat alas
165 quinquaginta equitum, quis ferreus omnibus arcus,
166 omnibus ensis erat, thorax et cassis aena.
167 Huic proceres summas tribuerunt Martis habenas.
168 Filius Hectoreis Almon non viribus impar
169 ter quinque electas equitum peditumque catervas
170 secum in bella trahit, quis demens vertere ab imo
171 ardua Dardaniae jactarat moenia Romae
172 Maumettique nefas sacris praeponere Christi.
173 Tertius immites Arabas Poenosque trahebat
174 cum Gallis totiens solitus pugnare Thibaldus,
175 cui nuper Libyes populi sua jura dederunt
176 eversisque Dei templis ac virginis aris
177 impia Taenarei coluerunt sacra tyranni.
178 Hunc dum Panchaeae sub odoro conice silvae
179 immemor at studio redolentia thura legendi
180 liquerat Albite nutrix somnoque gravatum
181 floribus ingestis suavique refovit amomo,
182 interea magno strepitu venisse leaenam
183 ac puerum rapuisse ferunt catulisque necatis
184 mansuete similem infantem nutrisse sub antris.

185 Ubera lactenti tribuit, dum firmior aetas
186 esset, mox capreas et tergora fracta fugacis
187 apportans cervi silvis nutritus in altis.
188 Ille odio vitae demum discessit agrestis
189 in vicina loca et propius se reddidit urbi.
190 Attamen is numquam silvestrem ponere ritum
191 corda nec immitis potuit mollire leonis.
192 Unde Arabes illi nomen posuere Thibaldo,
193 quod puer in silvis nutritus lacte ferino,
194 ut quondam Aeacides sub praeceptore biformi
195 nil cocti gustans nomen <sonitissimum> Achillis. (vers lacuneux)
196 Hic Arabum et Libycum legiones quinque regebat.
197 Praeterea multi, quos longum subruit aevum,
198 diversis venere locis regesque minores,
199 qui Bragadam potant, qui Nigrum et stagna Minervae,
200 et prope fatidici, pingues qui venit arenas,
201 Amonis Garamas et adusto corpore Psyllus,
202 quique colunt Capsam Herculeamque arasque Philaenas,
203 sub rectore omnes populi hi venere Thibaldo.
204 Est locus insignis Romano sanguine Cannae,
205 Apuliae longe ante alios uberrimus agros
206 frumenti ac pecori praebet laetissimus herbas.
207 Nec procul in pelagus liquidis fluit Aufidus undis
208 Adriacum. Hunc juxta posuerunt regia castra
209 Massyli Parthique duces atque aggere celso
210 cinxerunt dextram, - laevam circumfluit amnis.
211 Tentabat quoniam Mauros penuria frugum
212 (cum primum Calabras invasit barbarus oras,
213 nondum maturis campus flavebat aristis.
214 Alma Ceres calidis citius canescit in arvis),
215 magnanimi unde locum talem sollertia regis
216 delegit, ne tot potantibus unda deesset,
217 quippe ibi sunt rari fontes et flumina rara.
218 His sedere locis Arabes, haec castra tuentes
219 Francorum adventum spectabant aggere celso.
220 Jam volitare procul flammae vexilla rubentis
221 prospiciunt. Magnis resonat clamoribus aer.
222 Martia terribiles portendunt classica motus.
223 Apparet clipeata acies. Ferit aethera fulgor
224 armorum. Adventat densis seges horrida telis.
225 Plurima fulgenti vectatur lancea ferro.
226 Cum clamore ruunt alacres in proelia. Longe
227 spumanti praevectus equo Milonius Hector
228 ingentem validis contorsit viribus ornum ;
229 illa vel aeratae fregisset robora portae.
230 Non tanto strepitu vastos bombardae molares
231 evomit, ut magnis scindens stridoribus auras
232 hasta duos stantes pro portis aggeris alti
233 trajecit, terrae quam longa in viscera sedit.
234 Discurritque alacri vallorum ante ostia saltu
235 terribili clamore ciens in bella Thibaldum :
236 "Siquid Martis habes, mecum nunc consere dextram !
237 Egredere ! Et campis soli spectemur in istis !
238 Fortunam en iterum nostram tentare pavescis !
239 Non tibi nocturnae nota regione latebrae
240 effugium praebent, ut quondam victus in oris
241 Euphratis patrias remeasti inglorius urbes !
242 Non, si Pegaseis vectaris in aethera pennis,

243 eripiere mihi ! Si nunc non copia pugnae
244 detur, cum totis veniet Pipinius alis.
245 Exeat huc Almon, qui terram exterret et undas,
246 et tecum junctus nobiscum proelia tentet."
247 Non tulit hoc Almon, extra tentoria praeceps
248 veloci fossas saltu transgressus in aequor
249 constitit atque ingens telum cum voce tetendit :
250 "Experiere", inquit, "Stygiis nunc tincta lacunis
251 lorica expellat fatalis cuspidis ictum !
252 Sunt vires etiam nobis, nec dextera torpet !"
253 Tunc stricto gladio post terga umbone remisso
254 fertur in Orlandum. Socios secedere jussit
255 aequore nec tardo conamine Francus Achilles
256 irruit, ut, circum cum vidit ovilia furem
257 nocturnumque lupum, rapidi fremit ira Molossi.
258 Inde alacres ambo coniectis eminus hastis
259 distringunt enses et proelia dira laccessunt.
260 Congeminant ictus, galeae franguntur honores,
261 auratae cristae, radiantiaque arma teruntur.
262 Scintillat cassis. Credas mutare frementem
263 Enceladum latus accensasque evolvere flammam.
264 Jamque fatiscebant sub vastis ictibus aera,
265 nec durare calibs poterat, multisque petitus
266 perfossusque locis thorax, non integer umbo,
267 cassis hians crebris rimis, loricaque fracta
268 Almoni fuerat, multoque aspersa cruore
269 arma cruentarat. Non retro territus Almon
270 terga dabat, sed enim furiis stimulatus et ira
271 fulminat, atque animum propiora pericula mortis
272 accendunt, potiusque mori, quam terga superstes
273 vertere decrevit, tanta spectante corona.
274 Ut gladii contusam aciem fatalibus armis
275 deque ictu nullum vidit manare cruorem,
276 attonitus paulum secessit barbarus Almon.
277 Ferrea mox vastis jaculatus pila lacertis
278 arripuit nodis et duro cortice clavam
279 ingentem ac librans decussit vertice conum
280 cassis ! Et Gallum paene in fumantia colla
281 alipedis dejecit equi. Timuere coloni
282 Syllani, et lacrimae Gallis fluxere cadentes.
283 Contra Phoenices plausu fremituque secundo
284 exsultant geminasque manus ad sidera tollunt.
285 Surrexit sella Francorum Martius Hector.
286 Ensequae sublato vires duplicante furore
287 dividit in geminas Almonis tempora partes,
288 perque etiam collum, per costas pectoris ensis
289 ut fulmen scindens dorso consedit equino ;
290 sicque bipartito cecidit rectore Podarces.
291 Diriguit pater aspectu, conterritus omnis
292 Sidonius miles tristi velut omine pugnae
293 instantis cladis certissima signa timebat.
294 At non crudeli feritas mollita Thibaldo est.
295 Increpat et socios et maestum Agolanta reprehendit :
296 "Non lacrimis hoc tempus eget ! Nunc conjugis esto
297 quisque suae memor et nati patriaeque suique !
298 Nos, nisi victores erimus, discedere terris
299 non licet Ausoniis ! Facilem victoria pandet
300 discessum ; exitium victis miserabile restat.

301 Credite, praeclarum est fortes occumbere bello,
302 turpe capi, indignumque viro nullique ferendum
303 vivere sub jussu alterius dominique superbi
304 saevitiam hostilisque pati ludibria fastus.
305 Quisque sui juris manes demigret ad imos !
306 Rumpe moras, Agolas ! Muliebres comprime fletus !
307 Nec cadere ante oculos natum patiaris inultum !"
308 Dixit et alipedis ferratis calcibus armos
309 praefodiens in bella ruit Neriumque trucidat,
310 quem genuit celso sublimis Alexia muro.
311 Mox Hyalem Phaecamque necat, quos candida Chio
312 conceptos furtim Fesulano in monte creavit
313 Atlanti : lepores dum per juga summa fugaces
314 insequitur, somno compressit forte gravatam.
315 Insignes ambos jaculis levibusque sagittis ;
316 tanta adeo formae morumque simillima imago,
317 errarint ipsi decepti ut saepe parentes.
318 Una ambos oriens produxit et abstulit hora.
319 Et jam praecipites tota cum mole ruebant
320 Assyrii rupto vallo fossisque repletis.
321 Ipse ferox Agolas et formidandus ab ira
322 praecipitavit equum densosque erupit in hostes.
323 Non aliter celso saxum de vertice praeceps
324 cum sonitu ruit in vallem frangitque teritque
325 arbusta et, quodcumque sibi sors obvia fecit.
326 Dat Blennum laeto, qui se de stirpe superbi
327 jactarat Galli, celsae qui moenia Romae
328 coepit et obsidione gravi Capitolia cinxit.
329 Varneriumque ducem, quam longa est, perforat hasta ;
330 Varnerius Latiis notus bellator in oris,
331 quem juvenem misit multis cum millibus olim
332 Pipinus contra Astulfum, vinctumque catenis
333 trans Alpem victor duxit meritoque triumpho
334 donatus Latias senior remearat in oras.
335 Multaque praeterea Francorum nomina laeto
336 sternit et obstantes nudo metit ense cohortes.
337 Perrumpit cuneos Orlandum nomine clamans.
338 (Ast is diversa tunc Martem in parte gerebat.)
339 Absente ut pastore lupus per ovilia saevit,
340 nunc has, nunc illas jugulat manditque trahitque.
341 Quis cladem illius pugnae, quis funera dicet ?
342 Turbidus in superum prostrata cadavera pontum
343 Aufidus evolvit. Nymphae stupuere marinae,
344 sanguine foedari Neptunus Doridos undas
345 caeruleumque rubro doluit mutasse colorem.
346 Bovius et Claron divesque Britannicus Astur
347 per medios Syrios felici Marte ruebant.
348 Ac vi praeruptis cuneis scissaque cohorte
349 ductoris fecere viam, ceu flumina circum
350 Nigrum Estimque feri populant armenta leones.
351 Parte ferox alia Medorum ductor Idaspes
352 cum rectore Saba, quo non immanior alter
353 nec magis infestus Christi cultoribus, agmen
354 Francorum irrupit captoque ex aggere pellit.
355 Exoritur caedes, et mutua vulnera miscent.
356 Jungitur et Debas Arabum stipante caterva
357 Syllanumque globum frustra est perrumpere nixus.
358 Sarbatus Albarque, duces, princepsque Thibaldus

359 instar ventorum rapidam fecere procellam.
360 Ut stimulante fame tigris catulisque relictis
361 nequicquam canibus, nequicquam territa telis
362 pastorum horrendo vaccas invadit hiatu,
363 Corbius haud aliter Gallorum dissipat alas
364 rector et innumeram perimit sine nomine plebem.
365 Arnolfum et fortem terrae prostravit Othonem,
366 Orlandi comitem, nec Avinum ferreus umbo
367 protexit, foderet quin pectora Corbius ensis.
368 Quiscardoque caput cum casside jecit harenae
369 Centimanus, tanto vibrabat pondere fulmen.
370 Jam primi cessere loco turmaeque secundae
371 terga dabant, rapta praesto ni Bovius hasta
372 Marmaridum caeso rediisset victor ab hoste.
373 Infrendensque animo stricto mucrone Thibaldum
374 aggreditur dictisque hostem perturbat amaris :
375 "Hic odium Christi pones, quo perfuris !" inquit,
376 "Hac Latium dextra dabitur, quod stulte petisti !"
377 Plura locuturum non pertulit impiger heros,
378 exarsere feris praecordia nigra venenis.
379 Ceu calcata tumet pressis sub calcibus aspis,
380 ignea sic torvis tumuerunt lumina flammis.
381 Parque odium viresque pares aetasque genusque
382 ambobus fuerat. Concurrunt viribus aequis.
383 Connixique hastis primo, mox ensibus enses
384 et clipeis pulsant clipeos. Tonat arduus aether.
385 Jam fractus thorax, galeae de vertice conus
386 pulsus erat, fessique ambo sudore madebant,
387 cum subito a tergo magno clamore ruebat
388 ingentem vibrans quercum Potanius heros,
389 qua solitus fuerat Barros vastosque dracones
390 Niseis mactare jugis. Hac Bovius hasta
391 indigne renes cecidit trajectus inermes.
392 Nec jam Christicolae sensim ductore perempto
393 abscedunt, sed conversis fugit omnis habenis
394 praecipiti miles cursu. Dux instat et urget
395 Moedus, et ipse Sabas immani pondere clavae
396 dissipat obstantes cuneos, et terga Thibaldus
397 urget equo gladioque minax exterritat omnes.
398 Forsitan exitium Gallis lux illa tulisset,
399 ni dux Syllanus Garamantum caede cruentus
400 candenti volitasset equo dextraque coruscum
401 vibrasset gladium, vocis vultusque rigore
402 firmasset timidos mediumque invectus in hostem est.
403 Ceu praeceps alto rapitur de vertice torrens
404 objicibus vulsis campos irrupit apertos,
405 Florentinus eques Sicula de matre Giraldu
406 Altimelem rectorem Arabum transfodit et una
407 Zelotem stravit genitum de sanguine Cosdrae.
408 Jamque aderat Claron, fraterni vulneris ultor,
409 terribilem edebat caedem. Qua major Erynnis
410 saevit, eo alipedem ferrato calce fatigat,
411 Indicolam quaerens regem saevumque Thibaldum.
412 Ceu catulis raptis Massyla per arva leaena
413 raptorem inquirat torvoque infrendit hiatu,
414 sic fertur densos Claron moriturus in hostes
415 caesorum prius ingentes factururus acervos.
416 At tria, quae leva gestabat, spicula torsit

417 in te, dux Claron, Medorum rector Idaspes.
 418 Prima apicem tulit et galeae asportavit honorem ;
 419 altera praestrinxit guttur vicina cruori
 420 fraxinus ; umboni confixa est tertia cuspis.
 421 Ille ira simul et fraternis concitus umbris
 422 contorsit viridem media in praecordia taxum :
 423 corruit exanimis vitamque efflavit in auras.
 424 Moxque Sabam aggreditur. Stat contra interritus hostis
 425 fulmineo telo dictisque irritat iniquis :
 426 "Perfide, sic nostrum sperasti haurire cruorem !
 427 Descendat nunc ille tuus crucifixus ab alto
 428 Jupiter atque omnem divorum in proelia turbam
 429 ducat, et unanimes pro te pugnare rogato,
 430 eripiant ut te nobis mortemque repellant !
 431 Nunc te fraterno mactatum in sanguine volvam !"
 432 Nec plura, ingentis jaculatus frustra columnae,
 433 ceu quondam vasto Cyclops Polyphemus ab antro
 434 Dulichios saxis nautas percussit et orbis
 435 lampade convulsos scopulos jactavit in undas.
 436 Non tamen emensus spatium est, nam crura fugacis
 437 fregit equi. Surrexit humi Burgundius heros.
 438 Mox volat in cuneos Arabum scinditque voratque
 439 sanguineo mucrone globos, ut chillo volantes
 440 insequitur labens magno stridore columbas.
 441 Mille prius caesis, disrupto casside tandem
 442 et narem et linguam regi truncavit Eoo,
 443 impia ne posthac Christo convicia possit
 444 dicere neve aliquem lingua discerpat edaci.
 445 Sed, dum terga Sabae sequitur fugientia Claron
 446 infestoque urget per mille pericula telo,
 447 Laetifero ecce atrox fodit mucrone Thibaldus
 448 ilia Claronis, quo vulnere vita recessit.
 449 At Deus et Fortuna sibi miserabile votum
 450 hoc utcumque dedit : cecidit super ora jacentis
 451 fratris et amplexens fratrem moribundus inhaesit.
 452 Una dies ambos produxit et abstulit ambos,
 453 conclusitque uno mors ingeniosa sepulchro.
 454 Egregii fratres, longo durabitis aevo,
 455 ad seros venient si carmina nostra nepotes !
 456 Ingemuit miserans, obitus fratresque cadentes
 457 ut vidit, Folcus furiis stimulatus et ira
 458 prorupit densas Arabum Federicus in alas
 459 omnia prosternens nimbosae grandinis instar.
 460 Hic Florentinus Faesulanae stirpis alumnus
 461 Turcarum rabie Rhodios exemerat olim
 462 innumerosque egit crudeli ex hoste triumphos.
 463 Tunc dolor et virtus auxit calefacta furorem,
 464 spumanti volitabat equo nudoque Thibaldum
 465 quaerebat mucrone vocans : "Quo, perfide, flectis ?"
 466 Dum sic alterno perturbat funere Mavors
 467 sanguineus castra et permiscet tristia laetis,
 468 ecce Palaestinis veniens Burratus ab oris,
 469 qui se Jordanis ter sacra immerserat unda,
 470 Italiam et celsae visurus moenia Romae,
 471 ut sacrosanctae fidei mysteria noscat,
 472 suppetiasque ferens Italis, tum forte Tarentum
 473 appulerat. Postquam belli fervere tumultu
 474 Apuliam et validas duxisse Agolanta phalanges

475 audierat Calabrosque premi Phoenicibus armis,
476 Daunia rura petit turma comitatus equestri.
477 Ipse pedes cursus volucrum transgressus equorum
478 primus bella subit neglectaque castra capessens
479 a tergo invadit sociosque ex aggere tardos
480 increpat et fossas implet vallumque revellit,
481 ut tuto pateant aditus facilesque recessus.
482 Mox in terga ruit campoque erumpit aperto,
483 connixus longo nodosae stipite quercus
484 agmina frangebat ; ceu magna pressa ruina
485 aereae turris, tritis sic corpora membris
486 sub vasto ingentis lacerabat pondere clavae.
487 Parte alia interea pugnantem nuntius affert
488 Orlando cecidisse duces Tuscamque cohortem
489 concisam Gallosque equites jam terga dedisse,
490 fervere victorem felici Marte Thibaldum.
491 Obstupuit primum, justis mox concitus iris
492 quadrupedem Orlandus medios detorsit in hostes.
493 Ceu draco terribilis, vasto cum prosilit antro,
494 sibilat et rectis superat cervicibus ornos,
495 si taurum aut fulvum videat transire leonem,
496 horrendo torquet squamosa volumina motu
497 obvia prosternens decussis robora ramis,
498 haud aliter primas ductor Mavortius alas
499 aggreditur : cedunt retro formidine turmae
500 Marmaridum. Instat atrox post tergum atque intonat ore
501 Orlandus : "Latium, Garamas, ne desere partum !
502 Hac dabitur vobis quaesita Oenotria dextra !"
503 Hi fugiunt, hic terga premit laceratque paventes.
504 Caesarum plenis spumabat sanguine ripis
505 Aufidus, et tardos numerosa cadavera fluctus
506 obstruerant, sanieque atra corruperat undas.
507 Corniger at fluviis strepitu foedoque cruore
508 commotus glaucum caput est ter nixus ab antro
509 prodere muscoso, ter sanguine Glaucus amictus
510 turpatus maculisque atris ter cornua tinxit.
511 Visaque purpureos manare est urna liquores.
512 Tunc omnes nymphas speluncis abditus imis
513 accersit, subitoque omnes fluxere natantes,
514 quis tunc collectis roranti in sede locutus :
515 "Ausoniae nymphae, divum genus, amnibus undae est
516 fons Italis, qua strage olim, quo sanguine caesis
517 Hannibal Italiae populis foedaverit aequor,
518 scitis et hoc mecum doluistis saepe querentes.
519 Nunc eadem externis tempestas pendet ab oris,
520 insultatque iterum Garamas in gurgite nostro
521 relliquias Itali jactans haurire cruoris.
522 Nunc opus est ruptis totos effundere fontes
523 objicibus, qua saevus Arabs Nomadesque feroces
524 exsultant armis nobisque extrema minantur."
525 Dixit et assurgens contrita protinus urna
526 sublatis claustris objecta repagula movit
527 et molem ingentem rapidarum effundit aquarum.
528 Nec jam ripa capax, dissultat spumeus amnis,
529 aggere disjecto defertur in arva sonoris
530 vorticibus, quo castra Macae Poenique bilingues
531 imposuere. Ruunt tentoria fusa per undas.
532 Signa videre licet peditesque equitesque natantes.

533 Francorum at ductor turbata per agmina pugnans
 534 (ut sternit segetes saxosa grandine turbo
 535 - diffugiunt campis homines, armenta gregesque -,
 536 sic omnes Syrii vertebant terga pavore)
 537 obvia cuncta neci dabat implacabilis ira ;
 538 ac praeceps illuc, ubi regum purpura fulget,
 539 devolat - et major pugnantum pertonat horror -,
 540 si te forte, Saba, vel te reperire, Thibalde,
 541 posset et illata compenset morte gemellos.
 542 Jamque catervatim Stygiae super aggere ripae
 543 umbrae adventabant, fuscae nec portitor undae
 544 rimoso poterat cymba tot ferre sub uno
 545 tempore et extremum miseris mortalibus esse
 546 credidit exitium tanto sudore nec umquam
 547 permaduit tristis, totiens dum transvehit umbras.
 548 Ipse Agolas medium Francorum invectus in agmen,
 549 amissis catulis qualis lupa concita fertur
 550 per nemora et saltus patuloque inquiri hiatu
 551 praedatoris iter, talem se in bella ferebat
 552 Orlandum clamore ciens. Ipsumque Gerardum,
 553 Claronis patrum, quam longa est, perforat hasta ;
 554 Bernardumque, duces Italiae Carlisque nepotem,
 555 stravit et innumeram Ausonidum sine nomine plebem.
 556 At Galli proceres audita caede suorum
 557 agmine firmantur denso regemque cruentum
 558 invadunt, acrem ceu Punica turba leonem
 559 clamore horrisono conjectisque eminus hastis
 560 infestat nec abire sinit ; stat fervidus ille
 561 arrectisque jubis frendens tonat ore tremendo.
 562 Jam castra a tergo gemini, Burratus et amnis,
 563 turbabant hostes, frontem Milonius Hector
 564 urgebat. Clamores undique et undique caedes
 565 perfractasque rotas plaustorum ocreasque jacentes
 566 cernere erat, totis prostrata cadavera campis.
 567 Oblitus interea caesorum in sanguine ductor
 568 Gallorum volitabat equo scindensque catervas
 569 letiferum in solis stringebat regibus ense.
 570 Imbellem et vilem pertaesum caedere plebem,
 571 optabat diadema dari heroasque potentes.
 572 Praecipiti vidit deferri in devia cursu
 573 trunca nare Sabam, novit radiantia gemmis
 574 arma et purpureis pictum thoraca pyropis.
 575 Tunc vero exarsit furialibus incitus iris,
 576 Bovius et Claron tamquam sua vulnera monstrent,
 577 et procul in silvas fugientem fertur in hostem
 578 securum pugnae. Venit cum clamor ad aures,
 579 "Quo, moriture, fugis ? Non haec promissa dedisti
 580 Maumetto nomen juratus perdere Christi.
 581 Impie, quid trepidas ? Istac non itur ad urbem
 582 Romuleam ! Convertite, Saba ! Sequar hostis ad Indos !"

583 Ille nihil contra, viridem sed turbidus hastam
 584 conjecit. Sed vim rapuit Dodonia quercus,
 585 cujus in annoso praefixa est robore cuspis.
 586 Celticus ast Hector stridenti turbine cornum
 587 torsit et ut ceram scutum penetravit aenum,
 588 thorace effracto fixit praecordia ferro.
 589 Ac moribundus humi quam primum corrui Indus.
 590 Barbarus ut cecidit, redit in certamina victor

591 Orlandus. Fugiunt omnes, ceu tigride visa
592 grex pecudum. Sed non Dionysi ex stirpe Theones,
593 cui supra galeam niveae de vellere lanæ
594 infula erat nigrisque Macis ventura canebat,
595 terga metu vertit, sed Phoebum in vota precatus :
596 "Da, Thymbraee, meis hunc hostem sternere telis !
597 Da, pater, ut nostra hæc perimatur belua dextra !"
598 Hæc surdis orata deis effudit et una
599 fraxineos arcus dextram curvavit ad aurem
600 tinctaque Marmaridum direxit tela chelydris.
601 Cui dux Orlandus risu hæc respondit amaro :
602 "Stulte pharetrigeri sperasti numina Phoebi !
603 At nunc Tartareas ibis nova præda sub umbras !
604 Daemonis, ah, sero Phoebi mendacia nosces !"
605 Hæc dicens gladio pectus terebravit acuto.
606 Thespiadum inde genus, qui se de stirpe ferebant
607 Herculeæ, aggreditur. Licet omnes pelle leonis
608 muniti - et sectis cervicibus horreat hydra
609 in galeis - veterumque gerant monumenta laborum,
610 abstulit et regi cruciandos misit Averni.
611 Phoenicum Chryseus longe ditissimus auri,
612 dum fugit atque instar vulpis petit avia gyro
613 fallaci, in laqueos cecidit, nam ductor Orangæ,
614 cui dedit æternum Balearis lancea nomen,
615 letiferum adverso condit sub pectore telum.
616 Mox Arabum inquirens diversa per agmina regem
617 aurea flammiferæ lustrabat signa Chimerae.
618 Insigne illud erat regis, quin lampadis instar
619 Phoebeæ solido clypeum ex adamante gerebat.
620 Dum sic in solis ducibus sua lumina versat
621 terribilem vibrans hastam, fortuna Thibaldum
622 ecce illi tribuit, Syriis Poenisque fugatis
623 qui metuens summae multo quoque sanguine fuso
624 quadrupede errabat fesso tutumque petebat
625 effugium in patriam. Qualis Laertius olim
626 naufragus Alcinoi peragrabat litora regis,
627 talis jam laceris ibat defessus in armis
628 rex Arabum cunctos incusans nomine divos,
629 quod totiens frustra sortem tentasset iniquam.
630 Hunc errabundum speculatus Orangius heros
631 castraque linquentem, silvas latebrasque petentem
632 per brevina assequitur volucris compendia cursu.
633 Ceu, cum dira fames Hyrcanis expulit antris
634 aut rapidam tigrim aut maculoso tegmine pardum,
635 si capream aspexit ramosaque cornua cervi,
636 pandit hians rictum, mox emicat ocior Euro,
637 haud secus adversum erupit Guliemmus in hostem
638 fraxineaque hasta nixus præcordia rupit
639 protinus ; et longo clausit mors lumina somno.
640 Unus Aristomenes plures Messenius alas
641 sustinuit, quamvis densis premeretur ab armis,
642 ter centos equites letali perculit ense
643 servavitque aditus vallorum solus, ut olim
644 reppulit horrentes Pompei Scaeva cohortes.
645 Pilosum tandem fodit cor lancea, supra
646 caesorum cumulos effuso sanguine lapsus.
647 Magnanimum postquam sensit cecidisse Thibaldum
648 rebus et afflictis nullam superesse salutem,

649 Parthorum princeps densos prorumpit in hostes,
 650 qualis fulminibus latrantia dissipat ora,
 651 in laqueos cum venit aper, saetasque rigentes
 652 erigit et spumis venabula mandit anhelis.
 653 Ardebant torvis horrentia lumina flammis,
 654 Orlandum, quocumque ruit, clamore vocabat.
 655 Desperata salus et vitae prodiga virtus
 656 fecerat audacem. Clipeo post terga remisso,
 657 ut prius hostili moriatur sanguine rorans,
 658 pugnaces petit ense globos Italamque cohortem
 659 aggreditur, mortem gladio molitur ab omni.
 660 At Tyrrhena cohors conjectis undique telis
 661 invadit regem, gladiis densaque corona
 662 circumstat, qualis pastorum nocte sub atra
 663 turba lupum saeptis prensus discerpit in altis.
 664 Tandem mille locis thorax confossus et umbo est,
 665 ut flueret saliens per multa foramina sanguis,
 666 innumero donec repetitum vulnere regem
 667 prostrarent, torquemque alacres galeamque comantem
 668 diripiunt. Longa praefixum in cuspidem Parthi
 669 cum clamore caput portant per ovantia castra :
 670 "Pone metum ! Gaude Latium ! Jacet impius hostis !
 671 Caesarum ingentes caelo cumulantur acervi !
 672 Tot congesta simul veniens mirabitur aetas
 673 ossa fidem tantae certam factura ruinae !"

XIII

C_13 v.1 Asdrubal interea Baleari a litore classem
 2 solverat, adjunctis regis telluris Iberae
 3 navibus innumero caedebat remige pontum,
 4 cum duce Lombardo sociato foedere turmas
 5 junxerat. Ipse maris victor tractabat habenas
 6 Gallicaque infesta populatur litora classe
 7 oppidaque evertens caesis combusta colonis
 8 terruerat portus omnes orasque propinquas.
 9 Quicquid ab Herculeis ponti jacet usque columnis
 10 Tyrrhenum ad pelagus, Maurorum navibus omne
 11 parebat. Jam colla jugo Trinacria pubes
 12 Ostrodisque iterum Libycis male saucia telis
 13 Gaudaque palmifera et portu Cercinna capaci
 14 praebuerant. Quae cuncta videns Pipinius heros
 15 jam dudum egregias Pisano in litore puppes
 16 struxerat, et nautas Tusco exercebat in Arno
 17 Euphranor Rhodius, belli cui summa gerendi
 18 in ponto commissa fuit. Quo cautior alter
 19 non erat, atque omnes pelagi mutabilis aestus
 20 noverat et flatus callebat praescius omnes,
 21 quod tempus paci, quod sit magis utile pugnae,
 22 scitus et eloquio mentes accendere bello
 23 et rabiem sedare animis. Primaque juvena
 24 sub duce Pipino meruit, nec tarda senecta
 25 corporis eripuit vires animique vigorem.

26 Electo implerat ter centum milite naves
 27 puppibus, atque altis magnos missura molares
 28 tormenta ac duro falcatos robore corvos
 29 fecerat - ut Tyrrio quondam in certamine primo
 30 implicuit Phrygius Poenorum carbasa consul -,
 31 ne subterfugiens agili discurrere pinu
 32 possit et instantes sinuosis flexibus hostis
 33 rostratas vitet, sed stricto cominus ense
 34 terrestrisque instar Martis depugnet in unda
 35 puppibus annexis Belgarum Martia pubes.
 36 Verum ubi veliferae pontum tenuere carinae,
 37 aereas Alpes Taurumque annare revulsum
 38 Aegeisque putes delabi Cycladas undis.
 39 Non procul a Veneris portu Maurusia puppis
 40 stabat, ut Alpheia rumorem ex urbe propinqua
 41 exciperet, qua luce novae vada salsa triremes
 42 Gallorum scindant. Quas non tentaverat artes
 43 Asdrubal ? Et ficto fugiens modo terga pavore
 44 verterat et Libyae cursum simularat ad oras,
 45 moenia post audax inopina classe Liburni
 46 pulsat et ante oculos abigit de litore praedas.
 47 Francorum postquam sulcarunt aequora pinus,
 48 affaturque duces et belli praemia ponit :
 49 "Quisquis erit ponti victor, dominabitur orbi !"

50 Exitium victis et non tolerabile cuiquam
 51 servitium ostendit clamans : " Victoria nostra est !
 52 Nunc, nunc, o socii, paribus consurgite remis
 53 Gallorumque rates inimicis findite rostris
 54 captivosque omnes medio submergite ponto !
 55 Invalidum Fortuna senem pavidasque triremes
 56 ecce offert vobis ! Sed quid vos demoror ? Ite !"

57 Dixit et ante alios dedit omnia carbasa ventis
 58 impulit et celerem numero verbo puppim.
 59 Ocior illa Notis scisso volat aequore pinus
 60 spumantesque secat magnis stridoribus undas.
 61 Quam contra plenis navis praetoria velis
 62 advolat infesto prorumpens Nerea rostro.
 63 Ille prius temo totam tamen ordine classem
 64 struxerat ac centum dextro totidemque sinistro
 65 sub se Naumachiaeque jubet decedere cornu.
 66 Rostratas totidem immotas subsidere portu
 67 et nisi in extremis jubet excursare periclis ;
 68 tertius Uvalius ductor, Pipinia proles,
 69 has regit et portu intentus stat classe parata.
 70 Utrimque insonuere tubae lituique sonori !
 71 Contremuit pontus, Tritonque expavit in undis
 72 caeruleis penitusque imis se misit in antris ;
 73 terribilisque virum ascendit super aethera clamor.
 74 Asdrubal antevolans venientem Euphranora contra
 75 invadit rostrisque petit contraria rostra.
 76 Non majore crepant irati murmura caeli,
 77 ignibus abruptis rapidi cum turbine Cauri
 78 dissiliere poli, tanta tunc mole carinae
 79 concurrere simul. Jaciunt utrimque catenas,
 80 insuper ingenti demisit robore corvum
 81 falcatum Euphranor ; crepuit laxata triremis !
 82 At non Sidonio ductori audacia cessit,
 83 sed fidens animi socios hortatur adesse

84 optatae pugnae tempus : "Nunc cominus enses
85 nudate emeritumque senem prosternite, qui nunc
86 offertur nostris casurus victima divis !
87 Ecce insigne decus navalis praemia serti !
88 Quis prior hostilem stricto petet ense biremem ?
89 Quis vestrum feret hoc aurum ?" Nec plura locutus
90 praecipiti saltu primus prorupit in hostem
91 ac Mitylenaenum gladio transfodit Orontem
92 Eolidemque Gygen resupinum jecit in undis
93 Pisanumque Butem, Pelopea a stirpe tumentem,
94 obtruncat ; longeque caput saltavit in aequor,
95 singultansque ratem foedavit sanguine truncus.
96 At septem unanimes Rhodii facto agmine fratres,
97 quos Phoebos peperit gemino Melpodia partu,
98 Asdrubalem invadunt et tela micantia torquent.
99 Non ita nimborum Coris salit horrida grando
100 culminibus, petitur quam densis ictibus heros.
101 Stat tamen et fratrum stricto mucrone cohortem
102 dissipat et pectus primum perfregit Achimo.
103 Inde Macrum Thanagemque ictu prostravit eodem.
104 Mox Dryopem frustra fratres in bella cientem
105 ense metit. Nec te defendit, Candele, tegmen,
106 Pollydamantis opus. Quod contra fulmina tutum
107 Pollydamas Liparae nequicquam cuderat antro,
108 hoc instar vitrei fregit Sidonius ensis,
109 et longe praeceps jecit de puppe cadaver.
110 Cercaphus ante suos oculos ut tristia vidit
111 funera, germanis vix se superesse peremptis,
112 qualis letifero desaevit vulnere tigris
113 accepto rabieque furens et morte propinqua
114 latronum insequitur celeri vestigia cursu.
115 Non tulit Euphranor ; quamvis seniore sub aevo
116 Martis opus gereret, vires tamen ille furori
117 immisit Tyriumque ducem petit et rotat ensem
118 letiferum. Scindit conum galeamque refringit,
119 tritaque perfosso crepuerunt ossa cerebro.
120 Nec mora, captivam raptat ductore perempto
121 turba ratem. Cunctos praesentia principis urget.
122 Instat victor ovans, hortatur voce manumque :
123 noscendus canis Rhodius sine casside pugnat.
124 Parte alia tumidas numeroso remige victor
125 naumachius pulsabat aquas ventisque secundis
126 hostilem invectus classem, disjecerat omnes
127 a laevo puppes cornu, ceu nubifer Eurus
128 torquet agens miseram in saxa latentia naves.
129 Non tamen Alphonsus cessit, qui Betica regna
130 incolit et Tyrios inter confinia Gades
131 occidui solis ; viginti Nerea velis
132 proscindens magno adversam ferit agmine proram.
133 Fit fragor ! Ac retro ceu duris cautibus ictae
134 cessere, emicuit scintillis lucidus aether,
135 sulphureos credas radios. Sed robore praestans
136 naumachius remoque etiam veloque capaci
137 fortior Alfonsi rursus latus haurit inerme.
138 Non majore sono prosternitur ardua moles
139 turbine ventorum vel terrae concita motu,
140 sic crepuit ratis et medio est absorta profundo.
141 Tunc licuit salsis spectare in fluctibus arma :

142 nequicquam lassis feriebat Nerea palmis
143 loricata manus ; nunc illos aequoris aestus
144 absorbet, nunc tela super volitantia figunt.
145 Sanguine caesorum maculatur decolor unda ;
146 strenuus ignavusque simul discrimine nullo
147 obruitur pelago. Findit laceratque natantes
148 desuper horrisono labens stridore carina.
149 Centum Atlantiades puppes Polymarchus agebat.
150 Hic odio Christi pugnaeque incensus amore
151 oceani demens felices liquerat oras.
152 (Elysios illic campos posuere Pelasgi
153 et ver perpetuum et sedes post fata beatas.)
154 Uvalii postquam in portu residere quietam
155 aspexit classem, ceu fulmen ab aethere tortum
156 praetoris magno invadit clamore triremem
157 primus et ardentem contorquet lampada dextra,
158 carbasa quae rapuit flammisque furentibus ipsas
159 antennas malumque hausit. Nec Doridos undae
160 infusae prosunt, saevit Vulcanius ardor !
161 Quin etiam insultans agili per caerula puppe
162 urgebat circum magnis clamoribus hostis.
163 Afflictis spes nulla fugae, spes nulla salutis !
164 Quippe alias naves inopino turbine pressas
165 egerat in scopulos, et sicco in litore pulsae
166 paene fatiscebant disrupto ventre carinae.
167 Cum classe Euphranor rediens victrice fugatis
168 hostibus occurrit Polymarcho atque agmine vasto
169 frangit Atlanteo perfectam in vertice pinum.
170 Momentoque ratem cum malo absorbit unda,
171 aureaque in pelago mersa est Junonis imago.
172 Nec, Polibete, tuam niveo Tritonia signo
173 defendit Pallas navim, quin Celtica pubes
174 praecipites capta de puppe evolveret hostes.
175 Cillarum ingentis subvectus pondere cetae
176 terribilem edebat pugnam solusque ruentem
177 Maurorum classem retinebat mole gigantis
178 horrendus. Signumque etiam feritatis habebat
179 Gorgoneos vultus, centum Aegaeona lacertis,
180 pectus et armarat squamosi pelle draconis.
181 Dexter utraque manu dabat uno tempore bina
182 funera : saxa, trabes, ferrum jaculatus et ignem
183 multa sub aequoreis Francorum merserat undis
184 corpora. Vix tandem contorta falarica rupto
185 tegmine semiferi trajecit viscera monstri.
186 Concidit et magna turbavit mole profundum
187 non aliter, quam si vulsi pars maxima montis
188 Leucadium nigris pontum misceret arenis.
189 At Pampilonis ductor Mathita superbae,
190 ut fusam classem et paucas superesse biremes
191 vidit et hostiles circumvolitare carinas,
192 vela dedit ventis et Phoebum supplice voto
193 orat, si incolumis redeat, de marmore templum
194 condere solemnesque dies celebrare quotannis.
195 Dum tumidis demens dat inania vota procellis,
196 ecce Ugone satus remis velisque Salardus
197 Parrisiusque simul falcone citatior Astur
198 insequitur. Jam jam puppim ferit aerea prora.
199 Non aliter cervum Tyrrhena per arva volantem

200 turba canum flatu premit et fugientia terga
201 porrectis laniat rostris, sic Belgica classis
202 spumanti hostilem discerpit in aequore pinum.
203 Zita tridentiferi portans insigne tonantis
204 (Hipalis hic rector, prisca sed origine Sidon)
205 Hispano armarat ter denas milite puppes.
206 Ut fuga praerepta est circumvallante corona,
207 per mediam incedens navim clamore paventes
208 instigat socios : "Ne captos more ferarum
209 vos jugulent hostes, ne sic pereatis inulti,
210 stetque illis multo victoria tincta cruore,
211 stringite", ait, "gladios et mecum invadite Francos !"
212 Talibus hortantem telorum ferrea nubes
213 oppressit, foditque suum Gortynia guttur,
214 quae vocem vitamque simul praeclusit arundo.
215 Immersis captisque unus restabat Heroldus
216 navibus, Abderae frater, qui Tunetis urbis
217 rex erat, Ausoniae notus praedator et hostis.
218 Quid faceret ? Sacro se Christi in fonte lavari
219 fingit et ante pedes victoris concidit ultro
220 amplectensque genu lacrimis sibi parci orat.
221 At non Tancredus, Libycum qui noverat astum,
222 credidit. In mentem rediit fallacia Poeni,
223 quippe illum quondam Sipontia moenia circum
224 viderat, et captus mentito foedere furtim
225 fugerat in Libyam et repetitis impiger armis
226 Tyrreni superique maris vastaverat oras.
227 "Numquam hodie effugies", inquit, "mea tela, bilinguis !"
228 Normannus pectusque fodit frustra rogamem
229 miscentemque preces geminato perforat ictu.
230 I nunc, juratum serva, gens perfida, pactum !
231 Dirue nunc sacras aedes et virginis aras
232 demolire ! Mari mergatur barbara pubes,
233 ut Pharaonaeus rubris exercitus undis !
234 Hactenus Eoas Agamennonasque triremes
235 atque indignantem vinciri Nerea ponte
236 Demetriique rates mirari Graecia desit,
237 nec Libycum jactet sulcasse triremibus aequor
238 quingentis Carthago ferox, certamine primo
239 cum qua classe pari concurrat Dardana pubes.
240 Plenior haud plures umquam victoria puppes
241 submersit pelago. Prorsus pecus omne natantum,
242 ambiguus pavit numeroso funere Proteus.
243 Sic tandem Euphranor Pisana ad litora victor
244 appulit, unde celer bis dena luce carina
245 solverat atque omni pontum purgabat ab hoste.
246 Diversis dum bella locis pelagoque geruntur,
247 omnibus interea accersens Desiderius oris
248 Bebriacos campos replet auxiliaribus armis
249 innumeras variis linguis variaque cohortes
250 religione ciens. Liguri promiserat arva
251 fertilis Etruriae, Capuaeque uberrima culta
252 Trinacriasque urbes Afris Sardoque regna,
253 Hispanis Rhodani campos oramque Comatam,
254 Saxonibus Rheni promittit prodigus urbes,
255 quin et Pannonios gentemque binominis Istri
256 excierat multoque duces allegerat auro.
257 His, inquam, fretus princeps Desiderius armis

258 ultro animum tollit. Quamquam certamine primo
 259 terga dedit victus, tamen implacabilis ira
 260 elatusque novis turmis immania versat
 261 proelia et absentem verbis exterritat hostem :
 262 "Quas mihi, Carle, dabis poenas ! Quo sanguine nobis,
 263 Gallia caesa, lues regis commissa superbi !
 264 At tu, qui solio das jura, Adriane, Tonantis,
 265 luminibus captus nostris famulabere mensis !
 266 Evertamque imo fumantia moenia Romae,
 267 ut ventura, loco fuerit quo, nesciat aetas.
 268 Marmaridumque feris populis habitanda relinquam
 269 arva. Meis quisquis veniet contrarius armis,
 270 delebo, et nullo posthac memorabitur aevo !"

271 Talia vesano volventi in pectore regi
 272 alite vectus equo cursor praenuntiat hostes
 273 adventare procul Ticini ad fluminis undam.
 274 Victrices aquilas et Gallica signa per auras
 275 asserit et totos impleri milite campos,
 276 horrendo mugire polos clangore tubarum.
 277 Talibus attonitus dictis et mente furenti
 278 arma rapit demens aliosque hortatur ad arma :
 279 "Arma iterum cape, miles ! Adest Pipinius hostis !"

280 Cetera dum castris pubes armatur, equestre
 281 erumpit portis agmen, peditesque sequuntur.
 282 Ast ubi Gallorum fulxerunt aurea signa
 283 non procul, armorum jam jam vicinior horror
 284 irruere est visus. Laxas Lombardus habenas
 285 clamoremque simul dubia formidine pressit.
 286 Haud aliter tauri moles exposta sonantem
 287 expellit tigrim, retroque minantia flectit
 288 murmura. Ceu Libyae diversa e rupe tremendum
 289 commotumque equites antro sensere leonem,
 290 accurrunt celeres omnes ; mox hoste propinquo
 291 non audent propius Martem conferre, sed hastis
 292 conjectis procul irritant clamore frementem.
 293 Ipse sed antevolans media inter millia Carlus
 294 Threicio currebat equo sine casside cunctis
 295 noscendus tali inflammabat voce cohortes :
 296 "Ultimus, o socii, labor hic ! Opponitur hostis !
 297 Hunc, precor, extremum mecum superate laborem !
 298 Hinc iter in patriam est expectatosque triumphos !
 299 Innumeros populos gentis domuistis Eoae ;
 300 quid memorem vestras per mille pericula dextras
 301 aeternum peperisse decus ? Vicistis eosdem !
 302 Hi sunt relliquiae ! Pro praeda sumite pugnam !
 303 Quis Christi verus cultor patietur inuri
 304 Italiam et sacros depellier urbe Quirini
 305 Pontifices ? Nunc, nunc sceleratam excindite gentem !"

306 Nec plura effatus. Sonuit clangore tubarum
 307 aether, et hinnitus volucrum desaevit equorum.
 308 At non segnis erat sumptis Desiderius armis.
 309 Tempora nudus adhuc turmas discurrit in omnes
 310 accenditque animos verbis et fulminat ira.
 311 Vix caput horrendo ductor praecluserat aere,
 312 cum subito Alecto furialibus ilia telis
 313 fodit equi, ut regem geminato calce supinum
 314 tunderet et rictu stratum laceraret hianti.
 315 Haec jam casurum terrebant omina regem.

316 Quin etiam sacri vates horrenda canebant
 317 prodigia exitiumque duci gentique futurum
 318 Scandaviae et fixi seriem sic poscere fati.
 319 Nec non per plures metuenda insomnia noctes
 320 viderat aurato per vim se a limine pelli
 321 praecipitemque alto detrudi a culmine turris
 322 in puteum et vitam in densis agitare tenebris.
 323 Saepeque prosiluit nocturnis excitus umbris,
 324 insidiis tamquam peteretur, et impiger ense
 325 fulminat in tenebras et inania bella lacessit.
 326 Jam caelum tellusque tremunt concussa volantum
 327 alipedum turmis crebroque horrore rotarum,
 328 jam clypeis clypeos pulsant. Fragor intonat ingens
 329 armorum, crebrisque fremunt hastilibus aerae,
 330 aetheraque obnubit telorum ferrea grando.
 331 Caesarum aggeritur tumulus. Bacchatur Erinnyes
 332 vipereas laniata comas cornuque recurvo
 333 raptans casuras letali murmure turmas
 334 in pugnam, sequiturque comes Bellona cruento
 335 vexillo, supraque volat Mors pallida rictu
 336 extenso et turbae periturae falce minatur.
 337 Diluitur tellus atro madefacta cruore,
 338 vorticibus rapidis spumanti sanguine currunt
 339 torrentes, infecta rubrum capit unda colorem.
 340 At rex Francorum tectus fatalibus armis
 341 per medias acies stricto mucrone ruebat
 342 horrendumque rotat moritura per agmina ferrum
 343 perrumpitque viam gladio scinditque phalangas
 344 obstantes, timidasque premit ceu chillo columbas,
 345 horrida ceu lacerat tempestas grandine campos.
 346 Dissipat ut nubes irati dextra Tonantis,
 347 urget ut in ponto parvos balena siluros,
 348 ut leo Massilas deturbat mane juvenecas,
 349 talis in arma ruit Francorum magnus Achilles.
 350 Diffugiunt turpi repetentes castra pavore
 351 Lombardi et Ligures, crescitque audacia Gallis,
 352 ni Serpentinus, qui fratri classe relicta
 353 sex equitum turmas Lusitanis duxit ab oris,
 354 Scandaviis tribuisset opem plenusque furore
 355 apprensus pavidos socios vertisset habenis.
 356 "Quo fugitis ? Non sic sacris juravimus aris
 357 funditus Italiam et Francorum evertere gentem !
 358 Omnis in ense salus ! Duce me vel milite freti
 359 vertite ! Sunt dextrae nobis, est integer ensis."
 360 Haec dicens valido torsit conamine taxum :
 361 quadrupedem, arma virumque simul confodit Etruscum.
 362 Agmina mox alacer gladio clipeata premebat
 363 horrendoque furens sternebat vulnere turmas.
 364 Huic formidandi species erat atra draconis,
 365 spumaque Cerberei manabat ab ore veneni,
 366 serpentisque instar stridebant sibila linguis.
 367 Ignea sub torva radiabant lumina fronte,
 368 squamea pellis erat rigido praedurior aere,
 369 ut femore excepto nulli esset pervia ferro.
 370 Insuper et Stygiis corpus muniverat armis,
 371 posset ut armatas impune lacessere turmas.
 372 Obvia cui primum venit Magantia pubes,
 373 Macharius Simonque duces, fideique sinistrae

374 Ganus et Albertus, proles indigna parente
375 infido, et nitidis fulgens Antonius armis,
376 qui primos Martis sibi deposcebat honores.
377 Huic jam collecto fatalem stamine Parcae
378 complerant horam : nam Serpentinus, ut illum
379 ante alios stricto meditantem proelia telo
380 aspexit, subito ignita cor ferbuit ira.
381 Ac celer emicuit per tela obstantia saltu,
382 ceu Jovis aetherei cum viderit armiger anguem,
383 labitur horrisono clangens stridore per auras
384 sublimemque rapit falcatoque enecat ungue.
385 Stat contra validam torquens Magantius hastam
386 eductoque prior vagina interritus ense
387 Hispanum invadit dictisque exasperat hostem :
388 "Quo ruis ? Hac dabitur dextra, quod, stulte, petisti
389 Oenotrii tentans Carlisque laccessere Martem ! "
390 Ille nihil contra, sed diro murmure frendens
391 aeratam incussit praeduro in casside clavam,
392 quae chalybis duri crassissima tegmina fregit
393 ossaque discusso laceravit trita cerebro.
394 Mox alios proceres et totum dissipat agmen
395 machaerioque caput roranti dispulit ense
396 Amerioque femur letali cuspide fixit.
397 Ipse etiam Ganus, foderet licet aere volantem
398 cornipedem et flexo fugeret per devia gyro,
399 ceu vulpes urgente cane, haud tamen integer inde
400 elapsus. Raptas caesis ex hostibus hastas
401 contorsit, te, Gane, petens Lusitanus Achilles.
402 Ipsum non tetigit, sed tergora fixit equina.
403 Corruit exanimis sonipes sternitque supinum
404 telluri allidens equitem. Mox fervidus ense
405 serpentinus adest nudo mortemque minatur.
406 Filius in tanto ut vidit discrimine patrem,
407 ingemuit lacrimans pietate ac fervidus ira
408 contorquet jaculum clamansque exterret Iberum
409 eductoque instat gladio turbatque frementem
410 Hispanum et saevo defendit ab hoste parentem.
411 Interea Ganus nati virtute receptus
412 effugit et fracto repetit tentoria crure.
413 Intumere fero praecordia nigra tyranno,
414 crevit et accenso virtus immissa furore
415 Albertique caput divisa casside fregit.
416 Quo, venerande, tuam describam carmine laudem,
417 qui pia pro caro subiisti fata parente ?
418 Jam Serpentinus primam prostraverat alam.
419 At clipeata phalanx, equitum Magantia postquam
420 agmina fusa vident, densa cinxere corona
421 telaque in hunc omnes casso torsere labore,
422 namque indefessus nullo quoque saucius ictu
423 stabat et irridens, "Muliebria parcite," dixit,
424 "fundere femineis nequicquam tela lacertis !
425 Arma viris sinite ! Et mecum Pipinius heros,
426 siquid Marte valet, purum descendat in aequor,
427 Orlandusque una, et mecum decernat uterque !"
428 Talia Bellovagus minitantem Belgicus Ajax
429 ut sensit, magno sic intonat ore superbus :
430 "Quid, socii, circum frustra torpentibus armis
431 turba unum numerosa duces residetis ? Ubi ardor

432 Martius in dextris domiti victricibus orbis
 433 vester adest ? Coram dabit hic tot millia morti
 434 impune et victor probris insultat ?" Amaris
 435 his dictis stricto gladio furibundus in hostem
 436 irruit et turbam jussit secedere campo.
 437 Secessere omnes. Stricto mox cominus ense
 438 ductor uterque subit diri certamina Martis,
 439 mutuaque ancipiti defigunt vulnera ferro.
 440 Non ita tam vastis fervens sonat ictibus Aetna,
 441 irato cum tela Jovi properata fatigant
 442 Mulciber ac Steropes et nudus membra Pyragmon,
 443 aenea quam crebris sonuere horroribus arma.
 444 Viribus hic fidens solidoque adamante superbus
 445 tristia sanguineae contemnit vulnera pugnae ;
 446 hic arte et lucta melior nec viribus impar
 447 terribiles ictus vano conamine fudit.
 448 "Quid frustra imbelli praetentas arma lacerto ?"
 449 Serpentinus ait, "Socios en aspice caesos !
 450 Mox te consorti prosternam morte peremptum !"
 451 Non tulit ulterius nec passus plura Rinaldus,
 452 instat atrox circumque omni petit impiger arte.
 453 Nunc ocream clipeumque fodit galeamque comantem,
 454 nunc flexo gyro nequicquam terga fatigat
 455 vulnifico chalybe. Et retro cedentia tela
 456 obstupet et nullum manare e caede cruorem
 457 miratur. Viresque suas ensemque reprendit
 458 impatiensque irae sua vulnera damnat et odit.
 459 Spumantem dimittit equum pronusque revellit
 460 saxum ingens, quod limes erat campestribus arvis,
 461 quo soliti fuerant Satyri Nymphaeque sedere,
 462 cum fessae celeri lustrarent avia cursu.
 463 Hoc sublime ferens frustra jaculatur in hostem.
 464 Insonuit tantum scutum ! Longeque repulsum est,
 465 ceu duris scopulis allisa refunditur unda,
 466 utque retro cedit percusso adamante securis.
 467 Stat rationis inops et magna exaestuat ira,
 468 nixus et in dura gladium confringere caute.
 469 Disrupit saxum ! Et candens scintilla reluxit.
 470 Inde ubi belligeras omnes Mavortius artes
 471 tentavit ductor nec erat successus in illis,
 472 rursus equum ascendit, sella sublimis in alta
 473 in Serpentinum furiali turbine fertur.
 474 Deposito gladio pugnantem amplectitur hostem.
 475 Nec segnis contra luctatur Cantaber heros :
 476 desuper Herculea connixus mole Rinaldum
 477 degravat et nexis constringit colla lacertis.
 478 Dum sic alternis innectunt bracchia palmis
 479 inque trahunt retrahuntque vices et nexibus haerent
 480 impliciti, dominis diffugit uterque relictis
 481 subtractus sonipes. Terra sic ambo ruentes
 482 consurgunt pariter, pariter fera proelia dextris
 483 commiscent nudis. Qualis Taygeta sonantem
 484 aut circum irriguas Pollux certavit Amyclas
 485 cum Bute Alcidamaque fero, sic ambo furentes
 486 terribilem edebant ullo sine sanguine pugnam.
 487 Barbarus ipse licet procero corpore praestans
 488 defureret vastis conitens viribus hostem
 489 sternere, sed frustra, nam stabat Celticus Ajax

490 annosa ut quercus missis in Tartara fibris.
 491 Ast ubi Beticolae sensit languere furorem
 492 paulatimque oris flatus accepit anhelii
 493 aspexitque atro sudore fluentia membra,
 494 desiluit pernix unaque trementia crura
 495 attollens humeris resupinum illidit arena !
 496 Incumbensque super rigido fodit inguina ferro
 497 tristiaque invisam sub Tartara dejecit umbram.

XIV

C_14 v.1 Ut primas cecidisse acies regemque peremptum
 2 Hispanum et Ligures vidit dare terga paventes,
 3 Sidonio occurrit fulgens Desiderius ostro.
 4 "Quo fugitis, miseri ?" Furiiali pertonat ore,
 5 "O socii, sic vos, sic me nunc proditis hosti ?
 6 Quae patriae charitas, quae vobis cura parentum est ?
 7 Objicitis vestras flammis hostilibus urbes !
 8 Quae spes est reliqua ? An Papiensia moenia clausos
 9 defendent, quos non defendit belliger ensis ?"
 10 Nec plura, Arnulphum contorta trajecit hasta,
 11 qui Carli patruelis erat, quem pulchra Silenis
 12 Martello peperit furtim. Sic stirpe paterna
 13 nobilis et factis non degenerare priorum
 14 annixus multos Ligures demiserat Orco.
 15 Hoc caeso invadit frendens mucrone Galandum,
 16 hoc quoque sublato Alpheum transverberat Agnum
 17 Nestoreosque omnes, Pisanae stirpis alumnos,
 18 qui primis caesis binas misere cohortes
 19 subsidium Gallis, contra quos barbarus hostis
 20 saevius exarsit, quod primi in litore Carlum
 21 accepere suo. Flagrantibus incitus iris
 22 perfurit : ut rapidus praerupto a vertice torrens
 23 saxa trahit vulsasque trabes valloque repulso
 24 annua per campos populatur vota coloni,
 25 sic ruit in fortes alacer Lombardus Etruscos.
 26 Ubertique femur gladio transfixit acuto,
 27 a quo ter fuerat telis hastaque petitus
 28 in dextraque levi dstrictus vulnere coxa.
 29 Concessit paulum retro Syllana juvenus.
 30 At non praestantis Glacetus originis auctor
 31 territus instantem invadit mucrone tyrannum
 32 armigerosque duos regis trajecit et Albim,
 33 Scandaviis nuper Latium qui venit ab undis,
 34 stravit humi. Pariter Saxettus fulminat ense
 35 sanguineo densosque alacer defertur in hostes.
 36 Jam jam Romuleas pepulit Desiderius alas
 37 Orsinoque caput letali discutit ictu,
 38 ut truncum longe secta a cervice ruentis
 39 asportaret equus dominique cruore maniplum
 40 spargeret Aeneadum. Fesulanae Mallius alae
 41 occubuit ductor, cum qua Federicus et Hector
 42 Corithiaequae alii proceres cecidere catervae.

43 Jam ferus alterno turbarat funere Mavors
 44 tempestasque acies eadem percusserat ambas,
 45 cum Syllana cohors Romani Martis alumna
 46 in medios fert arma globos reprimitque feroces
 47 Lombardos mortemque cupit pro laude pacisci.
 48 Fulminat ante Medix telumque immane coruscans
 49 obvia cuncta neci dat corpora. Persecat agmen
 50 horrendus densasque aperit mucrone catervas.
 51 Danorum rector turmas ut vidit hiantes
 52 perrumpique acies Tuscumque instare leonem,
 53 in Medicem validis jaculatur viribus hastam.
 54 Sed Deus et proli parcens Fortuna futurae
 55 depulit, et comitis Lamberti in pectore fixa est.
 56 Sternitur et moriens caros, sua pignora, natos
 57 commendat Medici, ne se efferat hostis inultus.
 58 Ingemuit Syllanus eques, morientis amici
 59 ut vidit casum. Fodiens calcaribus armos
 60 alipedis gladio fugientem inquirit Heroldum
 61 Hermogenemque equitum regis metit ense magistrum
 62 Quadorumque ducis rigido praecordia ferro
 63 fodit et haeretica maculatum labe Placillum
 64 stravit humi retroque hostes dare terga coegit.
 65 Lotarius contra Medicem notissimus hospes,
 66 cum regeret Tuscas princeps Desiderius urbes,
 67 hunc norat telumque premens, "Sic arma rebellis
 68 in dominum stringis ? Nostras experte catenas
 69 nunc minime effugies ! " dixit, "Moriere ! Nec ultra
 70 detrectare jugum poteris nec foedera rumpes !"
 71 Haec dicens stricto Tuscum mucrone petivit ;
 72 non tamen aeratum cuspis thoraca resolvit.
 73 Tunc vero ignescunt irae : patriaeque tyrannum
 74 ut vidit coram, ceu prensam saeva leaena
 75 raptorem lacerat catulosque cruenta reposcit,
 76 sic furit immani Syllanus percitus ira
 77 letiferumque ensem scisso in pulmone recondit.
 78 At Guiscardus eques, generis clarissimus auctor,
 79 quem nuper mater quartum Florentia misit
 80 rectorem Gallis, longe penetrarat in hostem.
 81 Ingenioque acer, procero corpore et armis
 82 horrendis insignis erat, nam vertice Gorgon
 83 cassidis et temo latrabat Cerberus ore.
 84 In clipeo fuerat Briareus pictique Gigantes,
 85 qui fera cum superis miscebant proelia divis.
 86 Horrisono stabat Pallas metuenda flagello
 87 saxificaque acrem terrebat pelle Typhoeum,
 88 tendebatque arcum contra crinitus Apollo,
 89 Euhius et torvi se vertit in ora leonis
 90 Titanasque feros rabido discerpit hiatu,
 91 Alcides clava, Mars ense superbus et hasta,
 92 sidereoque trono majestas regia torva
 93 fronte superciliisque nigris oculisque tremendis
 94 censedit Jovis et rapidas coit aethere nubes
 95 centimanumque Gygem prosternit sulfure sacro,
 96 immensum Enceladum fumanti conterit Aetna.
 97 Hoc Etruscus eques Vulcani munere tectus
 98 securus telorum ibat Liguresque petebat
 99 intrepidus. Dant terga fugae, quocumque furentem
 100 impellebat equum. Nec segnis Dardana pubes

101 consulis exemplo saevos decurrit in Hunnos.
102 Baccaramque ducem Saxettus perculit hasta,
103 Haspungum pilo, transverberat ense Trevellum,
104 Bulgareae qui ductor erat princepsque catervae.
105 Hector ubi aspexit Venetos formidine turpi
106 praecipites jam terga dare instantemque procellam
107 Syllanae turmae, galeam clipeumque vomentem
108 flammaram radios vidit rectoris Etrusci,
109 "Quo fugitis, miseri ?" Furioso perdonat ore,
110 "Sistite ! Victores patrias remeemus ad undas,
111 aut hodie mecum, sed non moriemur inulti !"
112 Haec ait et nudum vagina deripit ensem !
113 Et Gerium obtruncat Spinum, qui signa ferebat.
114 Mox in Guiscardum coniecta cuspidem fertur,
115 sed frustra : ignivomo procul est umbone recussa.
116 Quem contra infesto Syllanus perfurit ense
117 et clipeo effosso solvit mucrone trilicem
118 loricae et calido rupit praecordia ferro.
119 Fraxinea ante alios volat igneus Adimar hasta
120 Sauromatasque truces et fortes sternit Hiberos
121 Usdrialoque femur sparro terebravit acuto
122 saevus et Alpicolas, Lamium Climamque, peremit.
123 Cursor et in medios Donatus pervolat hostes
124 Melgidioque Gotho sectum caput abstulit ense
125 impiaque immanis dirupit tempora Pyrrhi.
126 Corruit Isatius trajectus pectora ferro,
127 qui Latias quondam exarchus spoliaverat urbes.
128 Impiger arrepto mucrone Foresius alas
129 exturbabat agens trepidas - ceu vis elephantis,
130 quem pavor aut docilis saevum rapit ira magistris.
131 Cum quo Troctus erat, materno sanguine Tuscus,
132 Bebriaco infensus regi patriaque relicta
133 Pontificis partes Francorumque arma secutus.
134 Terribilem edebat Lombarda per agmina caedem
135 magni animi juvenis, solus qui saepe volanti
136 vectus equo est ausus lustrare hostilia castra.
137 Bisdominusque ferox longoque Tolosa veruto,
138 ceu rapidae tigres per Caspia rura juvenas
139 attonitas urgent, sic ambo in bella feruntur.
140 At Bondelmontes, praeclaras stirpis origo,
141 hostibus in mediis caesorum sanguine rorans
142 perfurit et gladio metit insatiabilis alas.
143 Germanusque simul Scolarius, altera proles,
144 - a quo magnanimus, decus immortale, Philippus,
145 Turcorum clades, ortus -, non viribus impar
146 fraternis saevos currit violentus in Hunnos.
147 Daphonem interimit, qui regia signa ferebat.
148 Dardanus Hispani pectus confodit Ilerdae.
149 Ah, quanto satius patrias inglorius urbes
150 incoleret ! Sed fata vetant et Lydius ensis.
151 Hujus et infesta cecidit Pellarius hasta
152 impius, aeterno qui Christum patre minorem
153 dixerat et falsum sumpsisse ex aere corpus
154 ac vanos simulasse sonos tormenta ficta,
155 clavigeris vanum manibus fluxisse cruorem.
156 Dum Syllanus eques turbaret Marte secundo
157 Lombardam infestus pubem, praevenit Alachis
158 mille equites ducens. Nigra ceu turbo procella

159 prosternit segetes campis, sic agmen equestre
160 rupit Etruscorum magno terrore cohortem.
161 Herculis huic robur, bellique erat ipse magister,
162 quae raro sunt juncta simul. Disrumpitur ala
163 Lydorum, secat ense globos Lombardus et urget.
164 Bustico jacta pectus transverberat orno,
165 bracchia detruncat Firidolfo, corruit ipse,
166 apprensus frenis in mortua laeva pependit.
167 Tu quoque trajectus cecidisti, Dardane, pinu.
168 Corruit insignis Dinus pietate Johannes.
169 Multaque praeterea Syllanae corpora pubis.
170 Laetifero mactat sparro curruque volanti
171 in Lydos fertur victricemque impiger alam
172 obruit et late insultans discurrit Alachis.
173 Irrumpuntque equites galearum horrore tremendi
174 hirsutique Hunni variarum pelle ferarum
175 agmina Francorum magnis clamoribus urgent.
176 Nec minus infensas Augusta ex urbe catervas
177 ducebat Ferrus juratas tollere Christi
178 nomen et exstincto in patriam discedere Carlo.
179 Coniunctis igitur legionibus ambo feroces
180 invadunt Gallos et mutua funera reddunt.
181 Impellunt Italos retro dare terga maniplos.
182 Saucius interea Carlo Sirochius affert
183 hostes caede nova et pugna fervere secunda.
184 Succurrat fessis roburque refringat Alachis
185 bellacesque manus reprimat ductoris Iberi ;
186 Ausonios spectare fugam et jam terga dedisse.
187 Nec mora, selecto volat huc cum milite magnus
188 Celticus et Lotharim, Baltorum ex stirpe tumentem,
189 trajecit. Crepuit thorax, pectusque sub imum
190 consedit cuspis, cecidit moribundus arenae.
191 Bebriaci gener hic regis soceroque recepit,
192 Carle, caput dextramque tuam pro munere magno ;
193 nunc jacet ignotus rapidorum praeda luporum.
194 Leucterioque femur gladio transfixit acuto :
195 hic omnis belli solers cognoverat artes,
196 nec cuiquam fuerat dicendi copia major,
197 Scandavio Ausonios regi qui saepe rebelles
198 eloquio junxit saevisque coercuit armis :
199 letifero occubuit trajectus fulmine Magni.
200 Inde Cremonensi caput a cervice Molorco
201 deripuit collumque etiam praecidit anhelum
202 cornipedis. Nec te lorica, Adoalde, nec umbo
203 nec chalybum tegmen Carli defendit ab ense.
204 Mille die hac victor proceres Pipinius heros
205 stravit humi caesos. Totidem cecidere, quot ictus.
206 Qualis apud Granium Persarum caede cruentus
207 eoas acies rumpebat Marte secundo
208 Hamonis de stirpe satus, sic Celticus Hector
209 Lombardas populatur opes. Vilemque perosus
210 saevire in plebem cupiebat stringere solum
211 in reges gladium, magni velut ira leonis
212 imbelles contemnit oves tauroque superbo
213 gaudet hians, contra cum vidit stare minantem.
214 Planitie in media tumulus paulo altior aequo
215 exstabat, Carlus turmas unde arduus omnes
216 despicit et, qua parte potentior urgeat hostis,

217 quave imbelle latus possint penetrare cohortes.
 218 Nec mora, de numero bis mille elegit equestri
 219 Parrisios juvenes, laevum qui turbinis instar
 220 prorupere latus, Venetis Dacisque fugatis
 221 ingentem stragem fecere. At Francus Achilles
 222 invadit medias acies, ubi major Erinys
 223 et belli rabies et moles aestuat omnis.
 224 Adduntur comites Salomon, Amonius, Astur,
 225 regis sacra phalanx, manus insuperabilis armis.
 226 Ter mille insignes equites fregere Sicambros
 227 Hispanasque alas. At non secessit Alachis :
 228 sanguineo rutilum galeae jubar ense Rinaldi
 229 decussit ! Caelum ardentis petiere favillae.
 230 Inque comantis equi sudantia colla pependit,
 231 mox sella assurgens aeratisque orbibus altus
 232 ingenti saltu currum - mirabile visu ! -
 233 Desilit hostilem. Clipeo post terga remisso
 234 insurgens pedibus stridentem dejecit ensem !
 235 Qui caput et collum villosaque pectora rupit
 236 semiferi. Et sectum dejecit ab axe cadaver.
 237 Post rapidos impellit equos curruque phalangas
 238 Scandavias calcat victor, velut Hectore caeso
 239 Dardanios circum muros volitabat Achilles.
 240 Ipse inter densas alacer Desiderius alas
 241 Celtica turbabat letalibus agmina telis
 242 unus et innumeri pugnabat militis instar.
 243 Bardasenem ut vidit vertentem terga Sicambrum,
 244 extortis convertit equum fugientis habenis.
 245 "Nulla salus timidis est ! Huc, huc itur in hostes !"
 246 Clamabat, "Converte pedes et consere dextram !
 247 Aut victor patrias mecum remeabis ad oras,
 248 vel moriere simul !" Dicens haec ore minaci
 249 alipedis longo concussit terga flagello,
 250 torrenti similis fertur, quo raptat anhelum
 251 quadrupedem Stygiis virgo Cocytia telis.
 252 Non, si Dircaei nostro tonet ore furoris
 253 spiritus et Smyrnae mihi nunc sua carmina tradant,
 254 heroum valeam innumeras percurrere caedes,
 255 Alcaei quot dextra viros, quot miserit Orco
 256 Carlus ; nam nullum torsit sine vulnere telum.
 257 Nunc medias acies, volucris nunc cornua cursu
 258 perlustrat, partesque celer versatur in omnes.
 259 Dexteram nec segnis, quamvis sic ore tonaret :
 260 "Hunc, precor, extremum, socii, superate laborem,
 261 quorum jam domitus patuit virtutibus orbis !
 262 Fortis in hanc pugnam veniet Milonius Hector !
 263 En precursor adest, rapidis qui cursibus agmen
 264 Francorum volitare affert caesumque Thibaldum.
 265 Millia bis centum cum rege Agolante perempta
 266 nuntiat Helvetius. Crudelem excindite gentem !
 267 Fundimus infidos Ligures Maurosque bilingues
 268 quingentasque rates Tyrrhenis mersimus undis.
 269 Haec trans Herculeos pandet victoria Gades
 270 imperium vobis extremae ad litora Thules !
 271 Haec quoque pontifici reddet sua jura Quirino,
 272 et Latii amissos repetet sibi Caesar honores !"
 273 Talibus armatas inter Mavortius alas
 274 hortatur ductor pugnans et singula lustrat.

275 Merdassem Cosdramque, feros de patre Califfo
 276 progenitos, uno truncavit cominus ictu
 277 fixit et immitis Clotari praecordia pilo
 278 Istricolae, patris antiqui qui colla securi
 279 fregit, ut ante diem regnum sceleratus haberet
 280 solus (in omne nefas, proh regni dira cupido,
 281 impellis mortale genus !) Commota juvenus
 282 principis exemplo ac vitae gens prodiga fertur,
 283 quo majora fremunt dubii certamina Martis,
 284 obvia prosternunt et cuncta morantia frangunt.
 285 Urget praecipites cari praesentia regis.
 286 Nec non insignis querna Desiderius hasta
 287 Francorum ruit in turmas sacramque phalangem
 288 irrumpit soloque oculos in principe figit
 289 et Carli vestigat iter teloque parato
 290 incautum taciturnus obit, si posset inermem
 291 opprimere insidiis. Nec aperto occurrere Marti
 292 audet et in solo decrevit rege morari.
 293 Hunc ubi conspexit meditantem proelia Namus
 294 occulta et varios circum deflectere gyros,
 295 "Te petit ille ! Cave !" exclamat, "tibi, Carle, minatur
 296 exitium. Et, nisi fallor", ait, "Desiderius est rex !"
 297 Haec Namus. Subito arrepta volat obvius hasta
 298 Celtarum rector, dictis simul increpat : "Adsum
 299 ille ego, quem toto nunc quaeris in agmine Carlum !
 300 Et simul ingentem murali turbine quercum
 301 torsit, quae rapuit cristas conumque comantem
 302 pone duosque equites, Herulum Busarumque, peremit.
 303 Scandavius contra destricto fulminat ense
 304 umbonemque ferit frustra ; mucrone retuso
 305 instar enim plumbi Vulcania futilis arma
 306 ut tetigit, contusa acies sine vulnere. Risit
 307 Hectoreus princeps mixtaque exaestuat ira.
 308 Vagina eductum manibus connixus utrisque
 309 librat in aurata Lombardi casside ferrum.
 310 Sed clipeo objecto galeam defendit ab ictu
 311 barbarus. At scuti crassissima tergora solvit
 312 aeraque letalis gladius concussa momordit.
 313 Attonitus cecidit. Quadorum vidit Atalfus
 314 ductor et occurrens parma protexit inermem.
 315 Ac medium sese opposuit Carloque minanti
 316 instat atrox. Vibratque ensem mortemque repellit
 317 Lombardo stimulisque acres irritat ad iras
 318 Francorum regem. Qui frendens ore superbo,
 319 "Tu nunc ergo dabis poenas !" Telumque coruscans
 320 transfodit clipeum et thoraca resolvit aenum.
 321 Purpureus subito per mille foramina sanguis
 322 loricae emicuit. Trans renes Celtica cuspis
 323 tranavit ; costaeque omnes crepuere sub ictu.
 324 Interea elapsus repetit Desiderius urbem
 325 fessaque paulatim tutis agit agmina castris.
 326 Pugnando e campis rector discedit Iberus.
 327 Instabant alacres Galli ereptosque dolebant
 328 hostes dilabi. Et nigris nox humida bigis
 329 vecta soporiferis caelum jam pinxerat astris,
 330 traxerunt tamen in multam certamina noctem
 331 Francorum proceres. Sed longe Ammonius Ajax
 332 praevectus vallo redeuntes excipit hostes

333 castraque munitis praelustrans obsita fossis
334 ardebat celso rescindere in aggere vallum.
335 Provida magnanimi vetuit sapientia Carli
336 accensas revocans lituis ad castra cohortes.
337 Ipse quoque invitum vix sedat voce Rinaldum :
338 "Comprime, macte animi, dextram gladiumque reconde.
339 Differ et in lucem, quos volvis mente, furores."
340 Interea explorat dubias rex barbarus arces.
341 Semovet infidos vigiles et moenia lustrans
342 gentili replet Papienses milite muros.
343 Expallet, nam signa videt manifesta ruinae ;
344 tot fera monstra deum terrent pugnaeque sinistrae
345 eventus tristes. Trepidisque pavore phalangas
346 detrectare videt rursus concurrere Gallis.
347 His agitur praeceps Furiis, nec pectore noctem
348 accipit, aegroto similis, quem torrida lecto
349 jactantem febris excruciat versatque gementem.
350 Et jam luciferis pallebant sidera flammis,
351 Phoebeumque jubar gelidas dimoverat umbras,
352 cum tuba terrificis clangoribus impulit auras.
353 Exsiliunt Galli proceres, Amonius, Astur,
354 Uggerius Salomonque, duces, et Tusca juvenus,
355 in primisque alacer saevis Guiscardus in armis
356 Picus et egregiae praeclarus originis auctor.
357 Ter centumque ruunt equites sua signa secuti
358 invaduntque hostes et castra inimica coronant.
359 Non tamen Hispano cessit fiducia Ferro.
360 Attollit dictis animos et suscitatur iram :
361 "Nulla salus victis, nullus patet exitus. Instat
362 hostis atrox circum, et densis urgemur ab armis.
363 Nunc mecum ultrices armate in proelia dextras,
364 arbiter ut nos hinc victores eximat ensis,
365 aut, si fata vetant, et nos damnavit Erinnyes,
366 ut pariter fuso victoria sanguine constet
367 Francorum regi. Videat sua funera Carlus !
368 Ipse aderit princeps instructo milite, qui nunc
369 arma parat reficitque novas Desiderius alas."
370 Nec mora, castrorum portis erumpit apertis
371 ac desperato raptatur in arma furore.
372 Nodosamque ornum jaculatus cortice crudo
373 tres equites Gallos et nullum fodit inermem.
374 Consequitur furiata cohors, velut eruta moles
375 ventorum rabie praeceps it montibus altis.
376 Audaces neglecta salus et conscia virtus
377 fecerat, ut moriens vitam quisque auferat hosti.
378 Interea portas reserat Desiderius urbis
379 emittitque equitum turmas peditumque cohortes
380 jam raras nimiumque adverso Marte timentes.
381 Ipse inter primos montani vorticis instar
382 aggreditur Tuscas acies. Certatur utrimque
383 viribus atque odiis summis. Cupit ille rebelles
384 ulcisci, hae saevum flagrant delere tyrannum.
385 Francorum rector partito milite Magnus
386 hos castra expugnare jubet Martisque cruenti
387 tollere relliquias, hos contra moenia ducit.
388 Pugna duplex oritur. Campo concurrunt aperto
389 hinc Tyrrhena acies, hinc instat ductor Iberus.
390 Hinc victor Carlus pugnat, Desiderius inde

391 extremo praeceps agit in discrimine vires.
392 Hi victos spernunt, illi successibus acres
393 securique necis projectant corpora telis.
394 Principioque atrox dubio certamine pugna,
395 exoritur, sed enim proceres Gallique tribuni
396 ore tonant : "Hic est, socii, quem vicimus hostem !
397 Quem facit audacem mortis manifesta ruina !
398 Pro rabie, non spe pugnat deprensus Iberus.
399 Vix decimus superat, decimum prosternite, ne quas
400 integra relliquias habeat victoria Magni !"
401 Ast Lygus in medias transvectus Spinula turmas
402 invadit Celtas flagransque cupidine caedis,
403 delet ut ponti cladem terrestribus armis.
404 Lucensesque urget - ceu nimbis acta procella
405 prosternit segetes - et vertere terga coegit.
406 Intonat horrendo ductor Castrucius ore :
407 "Quid fugitis ? Lygus est terra devictus et undis !
408 Huic nos cedemus, qui nullis cessimus armis ?"
409 Nec plura, alipedem medios direxit in hostes,
410 dissipat ense globos Lygurum, prosternit Adornum
411 signiferum et Fisci rupit praecordia telo,
412 a quo Fiscorum descendit clara propago.
413 Interea circum Papiensia moenia reges
414 concurrere simul magnisque furoribus enses
415 destringunt, pulsusque feris tonat ictibus aether.
416 Dumque bipartitis tractant duo proelia turmis
417 Hispani Gallique duces regesque, seorsum
418 ecce procul cernunt attolli pulvere nubem
419 aequalem Tyrrheni equites propiusque moveri.
420 Turbati timuere dolos. Sed Gallica signa
421 strigosos et equos Phoebeo ardore videntes
422 deposuere metum, subitoque audacia crevit.
423 Hos longe agnovit specula Riccardus ab alta,
424 Orlandum sociasque manus exclamat adesse !
425 Continuo velox it tota per agmina rumor,
426 auditurque virum clamor, vastumque gigantem
427 ceu turrim aspiciunt equitum praecedere turmas.
428 Hic Burratus erat, quem sacro in gurgite Romae
429 laverat antistes summus Christoque rebellem
430 hactenus imbutum caeli donarat honore.
431 Nec mora, conjunctis opibus Milonia pubes
432 Lombardas acies acresque invadit Iberos.
433 Fortius hoc urget miles Pipinius hostes.
434 Exoritur strages ingens, fuga nulla, caduntque
435 pugnantes omnes adverso vulnere caesi.
436 Foeda trucis Martis facies, adpersa cruore
437 arva natant. Devota mori stat barbara turma.
438 Dum vocat Almoenus socios, Victorius udum
439 clamantis Petrus trajecit arundine guttur.
440 Mox et purpureo fulgens Capponius ostro
441 Hispanos secat ense globos ceu tigris ovile
442 victoremque Degum curru dejecit ab alto
443 auratasque ducis cristas argenteaque arma
444 abstulit, ut Martis mox haec suspendat in aede.
445 Filius hunc juxta tenerae sub flore juventae
446 pugnabat Ginus, quo non formosior alter
447 Syllani generis nec fortior exstitit armis.
448 (O utinam nostro hunc Florentia tempore morem

449 servaret, priscos ritus sequeretur avorum,
450 ut primo sub flore puer genitore magistro
451 militet impubesque premat sub casside malas !
452 Nunc trahimus longum conducto milite bellum.)
453 At longe densos Tuscus penetrarat in hostes
454 Quiscardus Maurumque ducem transverberat ense
455 laetifero et curru moribundum evolvit arenae.
456 Vidit ut Alceus trepida formidine ductor
457 terga dare Hispanos saevumque instare gigantem
458 seque suos densa clausos indagine cernens
459 majorique hostem miratur mole prementem,
460 constitit infrendens furialique incitus ira
461 terrigenam invadit. Lectamque in monte Pyrenes
462 connixus validis jaculatur viribus ornum,
463 quae clypeum incocti bis seno tergore tauri
464 implicitum et thoraca simul trajecit et ultra
465 praelibans carnem rubuit suffusa cruore.
466 Hoc vicisse putans exclamat Cantaber heros :
467 "I demens, sacros Maumetti desere ritus !
468 Exora, ut nostris Christus te liberet armis.
469 Caesus in Hesperiae campis, Burrate, jacebis,
470 impastis quae praeda lupis, quae pabula corvis !"
471 Ille ira frendens simul et stimulante dolore
472 vulneris insueti nodosam robore clavam
473 vibrat et horrifera stridentia pila catenis
474 dejecit incassum. Praevidit barbarus ictum
475 et volucris praefugit equo. Diverberat auras,
476 aeratos impingit humi sine vulnere caestus
477 et lapsus prono tellurem pectore plangit.
478 Devolat ad terram Ferrus calcatque jacentem
479 luctantemque premit gladioque horrentia colla
480 scindere conatur. Vidit Milonius Hector,
481 ingemuit graviter casum miseratus amici.
482 Nec mora, terribili labens super agmina saltu
483 - ceu procul ex alta speculatus rupe columbas
484 chillo secat volucres pennis stridentibus auras -
485 Alceum invadit juguloque instantia tela
486 amovet et laeva prostratum attollit et arcet
487 letales ictus dextra. Ceu densa frementem
488 a tauri dorso pastorum turba leonem
489 extorquet, praedamque suo projectat ab ore
490 belua pastoremque petit, sic barbarus heros
491 fertur in Orlandum. Saevit vis efferata, torquet
492 congeminatque ictus frustra fatalibus armis.
493 (Haec olim ignivomae vasta fornace sub Aetnae
494 cuderat ignipotens Cythereae impulsus amore
495 Dardanio Aeneae Stygiisque immerserat undis.)
496 Belgicus ast Hector stridenti fulminat ense
497 tergeminasque fodit squamas thoracis aeni
498 ingentique aperit conscissum vulnere pectus ;
499 fervidus intepuit spumanti sanguine mucro.
500 Concidit exanimis Ferrus poenasque recepit,
501 umbraque roranti fugit maculata cruore.
502 Amisso dant terga fugae rectore catervae
503 Lombardae Hispanaeque ; ruunt ; mucronibus urget
504 palantes victrix nudis Milonia pubes.
505 Ipse gigas instat stridentiaque aera coruscans
506 exanimata premit pernicibus agmina plantis.

507 Quis pugnae illius stragem, quis funera, Clio,
 508 formidanda canet caesorum in pulvere regum ?
 509 Huic, precor, extremo, Musae, aspirate furori.
 510 Ecce catervatim prostrata cadavera passim -,
 511 semianimesque artus sonipes currusque calentes
 512 foedataeque cruore rotae calcantque teruntque,
 513 viscera dispersis horrent permixta cerebris,
 514 vicinusque fluit jam sanguine decolor amnis.
 515 Instant victores Galli, nec parcitur ulli.
 516 Nulli vincla parant. Saevit Mors falce cruenta
 517 innumeramque metens adigit sub Tartara turbam.
 518 Captaque deletis confestim castra maniplis
 519 diripiunt Remi et flammam in tentoria jactant.
 520 Mox ubi cuncta neci victor dedit ignis et ensis
 521 Gallicus, ad muros et castra secunda ruentes
 522 accelerant equites, sequiturque exercitus omnis.
 523 Protendunt clipeos hostili caede rubentes.

XV

C_15 v.1 Purpureum ut regem crista rutilante per agmen
 2 perfurere aspexit saevis Desiderius armis
 3 castraque subversa et deletos sensit Iberos
 4 rebus et afflictis parvam superesse salutem.
 5 Ilicet exstincto sperans se evadere Carlo
 6 letalem magno torsit conamine quercum.
 7 Quae clipeo regis Francorum fixa pependit
 8 perstrinxitque parum thoracis. Constitit heros
 9 Belgicus et circum prospexit lumine torvo
 10 vulneris auctorem. Poenorum ut belua silvis
 11 saucia persequitur fugientis terga latronis.
 12 Sic volat arrepta frendens Pipinius hasta,
 13 quo deflectat iter densum Lombardus in agmen.
 14 Illum se turmis miscentem inquirat et instat
 15 et jacet ingentem peracuta cuspide taxum.
 16 Extremum illa volans clypeum laevumque lacertum
 17 trajicit et rupto configit bracchia ligno.
 18 Me ubi nequicquam morsu discludit inani
 19 ossibus haerentem taxum. Divertit habenas
 20 alipedis stimulisque urget pungentibus armos.
 21 Instat fulmineo victor Pipinius ense,
 22 "Quo fugis ? " exclamat, "Miseras ne desere turmas !
 23 Non audis gemitus, non funera saeva tuorum ?
 24 Credita sic linquis, sic hostibus agmina prodis ?
 25 Sic minuis fugiens nostram, ignavissime, laudem ?
 26 Quid si nunc turpis vitae est tibi tanta cupido
 27 et tua vinciri nostris vis colla catenis,
 28 condo ensem et certae do pignora vera salutis !"
 29 Ille nihil contra, aerato sed calce fatigans
 30 spumantem quatiebat equum murosque petebat.
 31 Evolat ante omnes delapsis ocior astris
 32 vociferans, "Pennis opus est", Amonius Ajax,
 33 "Pegaseis, Lombarde, tibi ! Sequar hostis ad Albim

34 extremum, vel si patriae cunabula poscas !"
35 Non aliter cervus spatiosa per aequora currens
36 latrantum fugit ora canum morsusque propinquos
37 eludit, rapidis repetit sic cursibus urbem
38 Lombardus Papiamque subit. Pone igneus heros
39 et pontem et portam saltu transmittit eodem.
40 Occurrunt celeres per propugnacula turmae
41 et saxis contisque arcent a moenibus hostem.
42 Pars obnixa humeris stridenti cardine trudunt
43 robora valvarum ferratoque obice claudunt.
44 Excludunt pariterque suos hostesque ruentes.
45 Bis seni comites Amonis terga secuti
46 irrupere prius portam, quam clausa fuisset.
47 Hos infensa petit pariter plebecula telis.
48 Undique conclamant, urgent captisque minantur
49 tamquam victores. Stat contra Celticus Ajax
50 vicinumque metit populum regemque cruentum
51 perturbat nec abire sinit segnemque reprendit.
52 Quin pueri et pavidae summo de culmine matres
53 irrita devolvunt imbellibus arma lacertis.
54 Sic labor extremus vocat in certamina cunctos,
55 et patriae charitas pereuntis concitat omnis.
56 Innuptaeque comis passis miserabile plorant,
57 decrepiti que senes juvenes hortantur ad arma,
58 servitium et stragem ostendunt arsuraque tecta.
59 Jam Corsinus adest scalasque in moenia portans
60 primus in hostilis subrepat culmina turris
61 Lydiae affixit dejectis hostibus arma
62 Syllanamque vocat sublimi ex arce phalangem.
63 Advolat insignis Glacetus et Adimar una
64 et modo victor ovans Maurorum caede Gyraldus.
65 Appositis scalis Corsini signa secuti
66 ascendunt primi muros turresque capessunt.
67 Confestimque cohors captis super ignea muris
68 discurrit, praecepsque omnis devolvitur hostis.
69 Interea effractis irrumpunt agmina portis
70 Gallica perque vias montani fluminis instar
71 cum terrore volant et tela micantia vibrant.
72 Obvia cuncta cadunt ; quicquid sors obicit illis,
73 detruncant ; magnis reboant clamoribus aedes.
74 At circa regem vis omnis pugnaeque major
75 gliscebatur, populusque illuc se verterat omnis.
76 Sed conspecta procul Francorum signa timorem
77 civibus incutiunt. Fugiunt regemque relinquunt
78 cum paucis latebrasque petunt et templa deorum.
79 Quae facies urbis, quis lamentabilis horror !
80 Hic ante ora patris trajectus pectora ferro
81 concidit. Hic natos moriens vocat, ille sororem.
82 Perque vias sanguis spumabat fluminis instar.
83 Ipsaque Tartareis redimita Megaera colubris
84 horrida ferali perflabat murmura concha
85 flagrantemque gerit letali lampada dextra
86 jactat et immeritis horrenda incendia tectis
87 liminaeque effractis foribus convulsa domorum
88 sternit et inquirat stricto penetralia ferro.
89 Quod nisi magnanimus celeres per compita turmas
90 praeconesque alta discurrere voce per urbem
91 jussisset Carlus, ne miles caede nefanda

92 saeviat et domibus sceleratos arceat ignes,
93 Gallica tunc cuspis Papiam evertisset ab imo,
94 ignis et hostilis flamma victrice cremasset
95 aequa solo in cinerem vertens fumantia tecta.
96 Lombardo interea conjecerat arta tyranno
97 vincla ferox Gallus : manibus post terga ligatis
98 spectandum cunctis ducit cervice supina,
99 qui modo tam validis orbem conterruit armis.
100 Ite, duces tumidi et rebus confidite laetis !
101 Quo vos ambitio, quo vos amor urget habendi ?
102 Quaerite caelestem patriam regnumque supernum.
103 Nil homini aeternum est nisi virtus. Ecce rapinae
104 urbs exposita jacet. Vacuatur regia gaza.
105 Cymbia diripiunt spirantibus aurea signis.
106 Aemula sideribus rapiuntur myrrhina vasa
107 copiaque argenti et regum monumenta priorum,
108 sericiae vestes Tyriumque infecta ruborem
109 purpura et a primo Flavorum rege corona
110 gemmea sidereusque thronus sceptrumque verendum,
111 quo veteres Latio reges dare jura solebant,
112 Protogenisque labor tabulae spirantiaque aera
113 signaque Praxitelis Phidiaeque loquentia saxa,
114 imperfecta Venus, quo non perfectius ullum
115 exstat opus Coi pictoris, eburque Myronis.
116 Egeritur, quicquid Romana potentia quondam
117 undique perdomito in Latium convexerat orbe.
118 Haec post imperium et deperdita regna Quiritum
119 effera gens rapuit. Bis centum et quattuor annos
120 Ausonidum miseris afflixit caedibus urbes.
121 Postquam omnis belli furor evacuaverat aedes
122 victorumque ferox secreta excusserat ardor
123 atque egesta foris stetit omnis praeda sub auras,
124 tunc rex aequato divisas munere partes
125 pro merito cuicumque dari mandavit et alto
126 sublimis solio tali est sermone locutus :
127 "Bis senus, socii, ni fallor, volvitur annus,
128 unde jubente Deo patriis discessimus oris.
129 Terrarum emensi signis victricibus orbem
130 aeterni saevos Christi delevimus hostes.
131 Saxonibus caesis acies superastis Eoas,
132 Indus ab extremo foedus vos Gange poposcit.
133 Per vos Iapygii pinguescunt sanguine campi,
134 occisusque jacet cum saevo Agolante Thibaldus.
135 Ecce expugnata vinctus Desiderius urbe
136 ante pedes nostros maeret poenasque superbi
137 dat sceleris ! Regno fretus rebusque secundis
138 me generum sprevit cognataque vincula rupit.
139 Nequitiae artificem natam cum fraude venenum
140 impulerat praebere mihi matremque patremque
141 et totam voluit Francorum evertere prolem.
142 Foedera pontificum jurataque pacta resolvit
143 nescius ultorem Christum superesse nefandi.
144 Fortunae exemplum, precor, hunc praeponite regem !
145 Quid restat, socii, meritas nisi reddere grates
146 caelicolis cunctis ? Ante omnes Virginis arae
147 corde pio et lingua cumulemus vota precesque.
148 At vobis, proceres, patriis ego laetus in oris
149 praemia magna dabo et mecum regnabitis omnes.

150 Vos, Itali comites, qui me meaque arma secuti
151 tam claram navastis opem, exstirpate tyrannos,
152 ne posthac Latios ausint invadere fasces !
153 Quisque suas populus leges et jura teneto !
154 Esto meus socius percussaque foedera firmet,
155 pacis ut aeternae possint meminisse nepotes !"
156 Dixit et Ausonios donatos munere magno
157 dimisit. Tandem perfectis ordine rebus
158 visere pontificem decrevit et atria Petri.
159 Captiva interea trans Alpes agmina misit
160 inque suam jurare manum barbamque coegit
161 radere praelongam. Nomen tamen ora reservat.
162 Bis senos Aurora polo renovaverat ortus,
163 Martigenae lecto Carlus cum robore prolis
164 despexit celso vicini e culmine montis
165 moenia vulsa solo, primi monumenta coloni,
166 disjectasque domos et saxa minantia casum
167 dirutaque ante urbem lacerati marmora circi
168 longinquaeeque videt prostrata canalia lymphae
169 et templum Martis nudis exstare columnis,
170 marmore nunc tectum divi sub honore Joannis.
171 Cetera bellorum variae evertere procellae.
172 Templum deum primum et divinas visitat aedes.
173 Ex auro calices solido dat munera sacris,
174 delubris, largo frumento pascit egenos.
175 Accersit propere ad magni praetoria regis
176 Syllanos praeco. Nondum sublimis in astra
177 condita praecelsa surgebat curia turri :
178 nunc ferme in medio locus est celeberrimus urbis
179 continuasque domos habet, et civilia jura
180 tractantur. Puro quondam area libera campo
181 exstabatque capax spatium, qua Lydia pubes
182 exercebatur primis pro moenibus urbis.
183 Illo tunc campo proceres populumque sedentem,
184 accingant se operi promissaque moenia condant,
185 hortatur. Simul et partes dimittit in omnes,
186 dispersamque agris pubem silvisque latentem
187 qui revocent pretiis atque una in moenia ducant.
188 Quarta dies Aprilis erat, cum luce serena
189 exoriens Martis Titan intrabat in aedem.
190 Numina tunc supplex arcana voce precatur
191 Carlus et accinctus designat moenia gyro,
192 majorem veterem ut murus novus ambiat urbem.
193 Nam cum Syllanus cunabula prisca colonus
194 dispreto jecit Fesulanae vertice rupis
195 planitie in media rapidi Munionis et Arni,
196 unde Fluentini nomen dixere priores,
197 angustas posuere domos stagnantibus undis.
198 Mox Gonfolini populus rupto obice saxi
199 siccatis campis decurrere compulit Arnum.
200 Plura novis igitur complexus jugera muris
201 ingentem duxit limosa per aequora fossam.
202 Bis senosque suis humeris Pipinius heros
203 substulit effossae corbes telluris et alte
204 erigit ad caelum palmas, duodena precatur
205 numina discipulosque Dei, qui prima superni
206 jecere in viva Christi fundamina petra,
207 surgat ut aeternae pulchro novus alite murus.

208 Successus florentis erat praesaga futuri
 209 mens ducis, unde suum coepit Florentia nomen,
 210 quod longe ante alias florens caput extulit urbes.
 211 Ipse igitur princeps operi regnoque futuro
 212 instabat tollitque moras urbique parandae
 213 praefectos operis numero delegit ab omni
 214 Dinocratem Rhodium et Tusca de stirpe Philippum.
 215 Dum Florentinae surgunt nova moenia gentis,
 216 interea magnus Francorum rector ad urbem
 217 Aeneadam accedit procerum stipante cohorte.
 218 Tunc omnis sexus muris effusa ruebat
 219 obvia turba duci myrto lauroque virenti
 220 cincta comas ramosque ferens frondentis olivae,
 221 victoris laudes lymphantum ex more canebant.
 222 Inde ubi claviferi perventum ad limina Petri,
 223 Pontificale decus cinctus mitraque corusca
 224 ornatus crines canos Adrianus in altum
 225 conscendit solium. Gradibusque sedere secundis
 226 cardineos proceres longeque recedere turbam
 227 Pontificum a rostris, tum nudo vertice Carlum
 228 deflexoque genu propius consistere jussit.
 229 Exoransque Deum ter verba immurmurat ore
 230 mystica. Deinde sacro veteri de more liquore
 231 tempora Palladiae victricia frondis inungit
 232 Caesareoque ornat pressos diademate crines
 233 Augustumque vocat longo post tempore Romae.
 234 "Te penes", inquit, "erunt Latiae telluris habenae ;
 235 occiduosque reges populos. Tibi Gallia victa
 236 serviet et seri tractabunt regna nepotes.
 237 Ecce sacrosanctae tibi relligionis honorem
 238 tradimus inque tua dextra sacra signa locamus !"
 239 Haec ubi praecinuit caelestis janitor urbis,
 240 ter laetus plaussit populus clamore secundo.
 241 Consedit Carlus. Votis sacrisque peractis
 242 plurimaque inter se vario sermone locuti
 243 discedunt. Simul Ursinus clarusque Columna,
 244 Scipiadum sanguis, veterique e stirpe Sabellus,
 245 Dardaniis qui gaudet avis priscisque Sabinis,
 246 deducunt medium Carlum collesque viasque
 247 Caesareasque domos et celsa palatia regum
 248 pyramidumque decus, Mymnae monumenta vetusti,
 249 ostendunt illi digitis et nomine monstrant.
 250 "Ecce Quirinalis, Phrygii primordia regis !
 251 Aspice Aventinum, quondam male fida latronis
 252 spelaea et domibus post exornata superbis.
 253 Tarpeiasque arces, ubi opes atque aera solebat
 254 publica Romuleus ferratis claudere portis
 255 quaestor et exactum vacuatis urbibus aurum.
 256 Cerne Palatini prostrata cadavera templi
 257 marmoreasque aedes Capitoliaque alta Tonantis,
 258 ut vix discernas horrentibus obruta dumis,
 259 insignesque arcus bellis aevoque ruentes
 260 dirutaque immissis caprificum marmora fibris.
 261 Haec est sacra via innumeris ornata triumphis."
 262 Inde in gramineum lustrando singula campum.
 263 Descendunt, flavis ubi quondam miles arenis
 264 assuerat duri Martis tolerare labores
 265 quadrupedemque ferum duris compescere frenis

266 flectere et in parvo currentem sistere gyro.
 267 Aurati nondum spoliato ex orbe triumphii
 268 desidiam intulerant, arcebant classica somnos
 269 vicina et subitae populato ex rure rapinae.
 270 Demonstrantque sacras aedes, ubi sanguine fuso
 271 pro Nazareno pulcherrima vulnera passae
 272 lucicolae caelestae peperere phalanges.
 273 Inde ubi primores procerum per singula templa
 274 perque urbis vicos caeloque minantia tecta
 275 deduxere ducem magnum laetique suorum,
 276 ostendunt, quaecumque manent, vestigia patrum,
 277 vix sero petiere domum surgentibus astris.
 278 Accepit Carlum Jordano Ursinus in amplo
 279 lautaque regifico fieri convivia luxu
 280 jussit et Attalicis ornari vestibus aedes,
 281 suspendi lychnos flammisque evincere noctem.
 282 Verum, ubi pulsa fames, vates consurgit Etruscus
 283 Marsilius pulsatque lyram. Tum voce canora
 284 concordat versus, quales Rhodopeius Orpheus
 285 Eurydice amissa lacrimans apud impia frustra
 286 Tartara deflevit citharam mirantibus umbris :
 287 quis maris et terrae, caeli quis terminus exstet,
 288 quae rerum causae, quis spiritus, unde creati
 289 quorsum homines celeresque animi, qui corpore functi
 290 quo volitent, caelumne petant Stygiamque paludem,
 291 Lydius haec docto cantabat pectine vates.
 292 Interea medium caeli trajecerat axem
 293 declivi nox prona jugo, jamque astra cadebant,
 294 cum proceres mensis thalamos petiere relictis.
 295 Ecce autem caelo Pipini regis imago
 296 delabi visa est. Fulsit splendore lacunar
 297 auratum : tremulumque jubar vibrare per umbras,
 298 haud secus astra polo videas rutilare sereno,
 299 cum feriunt claris placidum fulgoribus aequor.
 300 Obstupuit tanto percussus lumine Carlus
 301 effluxitque omnis subito de pectore somnus.
 302 Miranti adstabat similis similisque verenti.
 303 Tunc sacer aetherei fatur sic incola caeli :
 304 "Carle, meus sanguis, nostri spes unica regni !
 305 Tempus adest patriae dulces jam visere fines.
 306 Teque tuosque decet proceres donare quiete,
 307 pacatus postquam Francorum viribus orbis,
 308 Pontificis segura quies et gloria summi,
 309 stat Vaticano Romana potentia templo.
 310 Discedas igitur, cum lux detexerit umbras
 311 crastina. Sed, quae sint, paucis, facienda, docebo.
 312 Hoc tibi principum patrio de nomine mando :
 313 tertia pars auri divino detur honori.
 314 Exornes claris celeberrima templa triumphis.
 315 Caelestes nostra de stirpe Luisius aras
 316 accipiet : fastisque sacris sua fama perennis.
 317 Quin noster sanguis Ludovicus primus et alter
 318 sanctorum in numero caeli donandus honore est.
 319 Nobile Parrisium Francorum regia sedes
 320 molibus exornanda novis, sacrisque Camenis
 321 illic doctrinae divina sacraria condas.
 322 Ut longe cunctas gentes pietate vel armis,
 323 ingenio et doctis vincat quoque Gallia cartis."

324 Dixit et abscedens caro dedit oscula nato.
325 Vix gelidas noctis tenebras Aurora fugarat,
326 cum rex ad summi pergens antistitis aedem
327 accepta patrias venia remeavit ad oras.
328 Implerat cunctas jam fama volatilis urbes,
329 Celtarum occiduae incipiens a fine Garumnae
330 ad fontem Rheni paucis disperserat horis,
331 adventare ducem, cui rebus dextera Magnum
332 cognomen dederat, quo non insignior alter
333 seu bello seu pace fuit. Vacuantur ubique
334 oppida visendi studio. Sua rura colonus,
335 pastor oves linquit. Pars esseda floribus ornat,
336 quaque habiturus iter, detergunt pulvere terram.
337 Impediuntque comas sertis psalluntque canuntque
338 circum ipsum celeres regem per prata choreae,
339 quales fama refert Titani pube perempta
340 victori cecinisse Jovi sacra carmina Musas.
341 Quadrijugo ut vectum Romana per oppida curru
342 Scipiada Hannibale expulso captoque Syphace
343 Ausoniae populi laeto accepere favore,
344 talis cuncta suo redeunti Gallia regi
345 applausit festosque dies de nomine Carli
346 indicit ; cunctis solemnia munera templis
347 pro reditu ponunt, congestaque tura cremantur.
348 Celtica non tantum pubes Trevirque tremendus,
349 accola quin etiam rapidi Germania Rheni
350 atque omnis regio glaciali subdita plaustro,
351 quique habitant juxta nascentis flamina Cauri,
352 aurea gratantes miserunt munera Carlo.
353 Ipse triumphali curru sublimis et ostro
354 gemmato insignis procerum comitante senatu
355 intrat Aquisgranum laeto clangore tubarum.
356 Anteibant gentes manibus post terga revinctis
357 et veste et linguis et lege et moribus omnes
358 dissimiles : Parthusque fugax Tyriusque bilinguis
359 et Maurus velox et Arabs pollentior astu
360 et gracilis Garamas et adusto corpore Psyllus
361 invisusque omni populo Judaeus et acer
362 Dacus et Aethiopes nigri mollisque Canopa
363 imbellisque Syrus nec tardus Cantaber armis
364 Saxonique graves Francis totiensque rebelles
365 maerentes ibant Herulique Hunnique minaces
366 Lombardique truces sine barbibus lumina terrae
367 dejecti. Vincitque duces regesque catenis
368 ante triumphales currus victoris aguntur,
369 Taxilloque ferox et vasta mole Biordus
370 Limpandrusque acer, qui Romam obsederat armis,
371 brachia vinctus erat Beneventi ductor Arasus
372 invisusque Italis Rodoacer et ipse Richiner
373 ingratus socero truncoque Trebellius ore,
374 servate ex omni numero bis quinque puellae
375 Canobii comites regis, Babylonis in arvis
376 in Gallos certas quae direxere sagittas.
377 Stabat Fortunae exemplum Desiderius ingens,
378 jam senior manibus vinctis post terga catenis
379 dejectus regno laetis spectacula Gallis.
380 Ingentem praedam ter mille gementia plaustra
381 vectabant : Tyrio infectas bis sanguine vestes,

382 argenti fulvique auri numerosa talenta,
383 Aegypti portantur opes ac Persica gaza
384 gemmiferaeque Arabum vestes, gestamina regum,
385 aureaque edomitis direpta monilia Parthis
386 truncaque portantur victis ex hostibus arma
387 et tunicae chalybum scissae squalentiaque aera
388 immundo tabo, ducibus spolia alta superbis
389 ablata, et truncis vectantur rostra carinis.
390 Pluraque diverso ducunt ex orbe tropaea
391 et scissa et nigro sordentia pulvere signa.
392 Multaque praeterea variis animantia formis
393 extremisque Asiae silvis Libyesque cavernis
394 extracta ignaro Europae miracula vulgo :
395 squamosus serpens et vasto corpore barrus
396 et formidandus Bactrorum tigris ab antro
397 protrahitur ; saevit vinclis atque aere ligatus.
398 Ante urbem pueri niveaque in veste puellae
399 ibant Daphnaea redimiti fronde capillos,
400 nunc Carli laudes, nunc carmina sacra canebant
401 alternae, ut quondam raris sua saecula ludis
402 Roma potens rerum Phoebi celebravit honore.
403 Non, mihi Pindarico resonet si spiritus ore,
404 tantarum possem percurrere nomina rerum,
405 et mea dimenso pelago cursuque peracto
406 affectat navis portum jam tuta subire.
407 Dantis et altiloqui vestigia magna secuto
408 Virgilii et vatum Graiorum culmen Homerum,
409 haec mihi Calliope longo vigilata labore
410 dictavit multis ter quina volumina lustris.
411 Haud opus ingratum patriae, tibi, Gallia, felix ;
412 et regum veneranda domus praebebit honorem.
413 Te procerum releget pubes, serique nepotes
414 perdiscent, si fama volet. Post funera tandem
415 debita livor edax reddet sua praemia vati.
